




Berchem
Vita et Scriptis


VE RI TAS



DE GN. NAEVII POETAE VITA ET SCRIPTIS

DISSERUIT

MAXIMILIANUS JOSEPHUS BERCHEM
DR. PHIL.

„Sanctum est vetus omne poema“
Hor. epp. 2, 1, 54.

MONASTERII,
TYPIS ET SUMPTIBUS LIBRARIAE COPPENRATH.
1861.


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

G. F. SCHŒMANNO

M. HERTZIO

C. B. SCHLUETERO

SACRUM.

DE GN. NAEVII POETAE VITA.

Multis virorum doctissimorum studiis eo iam pervenimus ut si quis de veteribus poetis Latinis scribere constituerit ei non opus sit multis verbis quibus locum suum hisce studiis vindicet inter cetera studia antiquitatis; oleum enim perderet qui hinc lauream reportare vellet. Namque nuper vidimus viros nostri ordinis illustrissimos summo honore versari in hisce studiis, qui in omnes partes ingenii lumen effuderunt tenebrasque illustrarunt. Hi igitur quod multis locis passim de Naevio poeta censuerunt colligere propriaque Minerva hic illic mea adicere constitui, ut quam perfectissimam effigiem huius poetae redderem cuius laudes praedicare nunc nolo quum ipsa nostra disputatio, credo, eas luce satis clara ostensura sit. Nec metuo ne quis credat me noctuas portare Athenas, quod Schuettius atque Klussmannus eodem munere functi sint quod ego suscipere coner, uterque enim carebat iis rebus quae nuper demum in lucem prolatae sunt; Klussmannus praeterea, quamquam multas res attulit quas grato animo accipere debemus, ipse nulla alia ratione in iis digerendis usus esse videtur quam ut summa audacia sententias proferret quae nullo modo teneri possunt. Hisce vero in quaestionibus animo cupido nihil profici sanus quisque intellegit. Totam igitur rem instauremus ut bene discernamus quid certum quid probabile quid falsum sit.

Atque primum quidem de ipso praenomine quaestio oritur utrum Gaius fuerit an Gnaeus. Plerumque nullum Naevii praenomen in grammaticorum libris legimus, duobus vero locis nominatur poeta G. Naevius, apud Gellium N. A. 17, 21, 45 et apud Festum p. 352 M. Sed quum Festus nullo alio loco Naevio praenomen addiderit, hic vero vocabulum sic praecesserit, facile unusquisque concedet, hic quoque nullum poetae praenomen extare sed dittographiam literae *c*. Solus igitur reliquus est ille locus Gellianus contra quem etsi non multi tamen graves loci Gn. praenomen poetae vindicant, ipse enim Gellius errorem corrigit[1]) et Charisius[2]). Semel denique apud Charisium[3]) in libris legitur. „Exerciti. gn. naeuius· belli Punici libro 1" quo loco editio princeps exhibet „genetivo" ceteri vero editores recte praenomen agnoverunt.

Quod Schüttius[4]) etiam ad effigiem provocat cui subscriptum sit „Cn. Neuius Cap." iam ipse recte vidit quam debile hocce sit testimonium quum multis demum post Christum natum saeculis „Naevius" scriberetur sola litera *e*, ut haec statua aut supposititia sit aut alium Nevium exprimat[5]). Sed iam carere possumus hoc dubio teste, quum sciamus Gn. Naevium poetae nomen fuisse.

Merula etiam „Sanga" cognomen Naevii fuisse affirmat quibus nugis ne retineri nos patiamur ablego lectores si qui erunt tantum ad ea quae Klussmannus exposuit[6]).

Hunc igitur Gn. Naevium omnes fere una voce Campanum fuisse adfirmant, Klussmannus vero[7]) ausus est statuere Romanum illum fuisse; in qua re diiudicanda destituimur

---

1) Gell. N. A. 1, 24, 1 et 5, 12, 7 H. — 2) Charisius p. 229 K. — 3) Charisius p. 128 K. — 4) Schütte de Cn. Naevio poeta particula prima Herbipoli 1841 p. 8. — 5) cf. Klussmannum, Cn. Naevii poetae Romani vitam descripsit etc. Ern. Klussmann Jenae 1843. p. 6. — Memini me in prioribus Aeneidos libris legisse dativum adiectivi feminini ex. gr. „probae" quo loco Servius adnotat, dativum eum esse non adverbium, unde apparet iam tum dativum scribi solitum esse ut adverbium per *e* non per *ae*. — 6) Kl. p. 5. — 7) Kl. p. 5. sqq.

omnibus fere veterum testimoniis. Qui vero Campanum Naevium fuisse dicunt, utuntur hisce Gellii verbis [1]):

„Epigramma Naevii plenum superbiae Campanae quod testimonium esse iustum potuisset nisi ab ipso dictum esset:

„Inmortales mortales si foret fas flere
Flerent divae Camenae Naevium poetam
Itaque postquam est Orci traditus thesauro
Obliti sunt Latina Romae loquier lingua."

Hoc solo loco fulcitur illa sententia quae Naevium civem Campanum facit nisi forte illam Schüttii effigiem accire vis, quae Naevium Cap. nominat.

Campana autem superbia non solum significat arrogantiam Campanorum, quae est Welckeri sententia [2]) sed etiam eam quae est similis arrogantiae Campanorum quae in proverbium abiit [3]).

Itaque omnes fere viri docti nunc quidem consentiunt hoc loco non demonstrari Naevium esse Campanum [4]).

Atque adducor equidem fere in Klussmanni sententiam, nam non solum mirum est Hieronymum ad Eusebii chronicon quum omnium fere poetarum Romanorum patriam nominet, Naevii solius patriam neglexisse, sed cogit hoc fere ut Romae eum natum esse censeamus.

Praeterea Klussmannus [5]) ut suam sententiam demonstret in auxilium vocat nemora Naevia et portam Naeviam quibus ostendi dicit, gentem Naeviam iam primis temporibus Romae fuisse. Utraque nominat Varro [6]): „ligionem Porcius designat quom de Ennio scribens dicit eum coluisse Tutilinae loca. Sequitur porta Naevia quod in nemoribus Naeviis (Naevii etenim loca ubi ea) sic dicta. Deinde Rauduscula etc. Naevii

---

1) cf. Gell. N. A. 1, 24. — 2) cf. Welcker trag. graec. p. 1338. Idem credit nomen Naevii non solum Romanum sed etiam Oscum fuisse. — 3) cf. Cic. Agr. 1, 7 ib. 2. cf. Cic. in Rull. 2, 33. — 4) Praeter alios cf. Hertz, ann. Berol. 1843 tom II p. 219, qui tamen magis sese inclinare dicit ad sententiam eorum qui Campanum Naevium fuisse censent. cf. Teuffel. in Pauli, encycl. reali s. v. Naevius. — 5) Kl. p. 9. — 6) Varro l. l. 5. 163 M.

quoque domum in istis silvis fuisse dicit Festus[1]): „Naevian silvam vocitatam extra urbem ad miliarium quartum, quod Naevi cuiusdam ibi domus fuerit, quam nemora Naevia ad pellata etiam fuisse Verrius ait."[2]) Praeter illum vero Naevium a quo nemora dicta sunt, nullus nominatur a scriptoribus Romanis usque ad nostrum poetam quum gens sine dubio plebeia esset neque ante bella Punica famam adipisceretur. Poeta vero quum laudem sibi gentique acquisiverit, multos alios Naevios commemoratos videmus. Probatur aliquatenus Klussmanni sententia etiam eo quod anno 543 unus e gente Naevia cum laude stipendia meruit in bello cum Capuanis gesto, et optime intellegitur ratio quae inter Naevium et principes civitatis extitit si inveterato plebis odio in patricios incitabatur.

Multa quidem alia allata sunt a Schüttio quibus Campanum, multa a Klussmanno quibus Romanum poetam fuisse evincere student, sed quum unusquisque qui eorum argumenta legit primo obtutu videat quam futilia sint, molesto onere nugas refutandi supersedere licebit. Rem igitur in medio relinquimus.

His absolutis quam brevissime fieri potest Naevii res enarrabimus, quam rem ita optime instituere mihi videor ut primum quaeramus de anno quo Naevius mortuus sit, deinde quo tempore natum eum esse censendum sit.

Cicero[3]) enim ait: „at hic Cethegus Consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo quaestorque his coss. M. Cato, modo plane annis 140 ante me consulem, et id ipsum nisi unius esset Ennii testimonio cognitum hunc vetustas ut alios fortasse multos oblivione obruisset. Illius autem aetatis qui sermo fuerit ex Naevianis scriptis intellegi potest. His enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est,

---

[1]) Festus p. 169 M. — [2]) cf. Paul. Festi p. 168 M. Naeviam portam commemorat Livius 2, 11. Jul. Obsequens 104. Fortasse a nemoribus illis ortum est pirum Naevianum quode cf. Colum 5, 10; 12, 10; Cels. 2, 24. Utrum augur Attus Navus cum Naevius cohaereat incertum est. — [3]) cf. Cic. Brut. 15, 60.

Naevius est mortuus: quamquam Varro noster, diligentissimus investigator antiquitatis putat in hoc erratum vitamque Naevii producit longius. Nam Plautus viginti annis post illos quos ante dixi consules mortuus est Catone censore."

Atqui M. Cornelius Cethegus et P. Sempronius Tuditanus consules erant anno 550 quo anno Cato quaestor erat. Cum hoc Ciceronis testimonio consentit Hieronymus ad Eusebii chronicon qui ad Olympiadem 144 haec refert: „Naevius Comicus Uticae moritur pulsus Roma factione nobilium ac praecipue Metelli." Quod enim Hieronymus hanc rem ad annum tertium illius Olympiadis refert, non repugnat, quod singulorum annorum numeri in margine ibi additi non consilio sed fortuito distributi sunt.

Sed res certe mira esset si cum Klussmanno putaremus, Naevium Uticam fugisse ibique mortuum esse; quum enim Utica id temporis a Carthaginiensium partibus staret, poeta qui ipse bellum Punicum scripserat ipseque contra Paenos arma gesserat prius ad ultimas terrae oras, credo, quam in civitatem hostium fugisset, praesertim quum videamus quam constans in odio fuerit, quum, carcere spreto, Metellos identidem laederet. Quum vero Livius [1]) narret, eo ipso anno Scipionem Uticam frustra oppugnasse et prope urbem in promontorio castra fecisse, nescio quid obstet, ne ipse Naevius qui non exul factus [2]) sed factione tantum pulsus est, huic expeditioni sese adiunxerit senexque belli laboribus fractus sit prope Uticam. Qui finis vitae certe dignus est vita nostri poetae.

Epigramma autem, quod ipse Naevius in se mortuum scripsit teste Gellio, [3]) non testatur, re vera sepulcrum positum esse poetae, ut censet Klussmannus, [4]) sed facile in scriptis Naevianis extare potuit. Mortuus est igitur Naevius prope Uticam anno 550.

Sed nonnulli viri docti [5]) censuerunt Naevium illos versus

---

[1]) cf. Liv. 29, 35. — [2]) Errat Teuffelius l. l. — [3]) Gell. N. A. 1, 24, 2. [4]) Kl. p. 24. — [5]) cf. Ritterum Eph. LL. A. A. 1841 p. 334.

quos e Gellio [1]) adscribam scribere non potuisse nisi post pugnam apud Zamam factam:

„Etiam qui res manu magnas saepe gessit gloriose,
Cuius facta viva nunc vigent qui apud gentes solus praestat
Eum suus pater cum pallio ab amica abduxit uno.“

Scipionem enim dicunt illa pugna ad summum gloriae fastigium adscendise; sed aliae laudes etiam ante illam pugnam ab aliis in Scipionem effusae sunt „quem civitas invenem admodum recuperandae Hispaniae delegerit ducem, quem, recepta ab hostibus Hispania ad imponendum Punico bello finem creaverit consulem, spe destinaverit Hannibalem ex Italia detracturum, Africam subacturum.“ [2]) Itaque etiamsi Scipionis gloria illa pugna sidera tetigit, tamen iam paullo ante tanta erat ut Naeviani versus optime in eam quadrarent.

Restat ut pauca de Varronis sententia addamus qui e testimonio Ciceronis supra allato [3]) vitam Naevii extendit supra annum 550. Quem si Klussmannus ita cum Hieronymo coniungere studet ut dicat Varronem duobus annis produxisse vitam Naevii, vereor ne fallatur vir doctus. Sed quid de toto loco censendum sit ex verborum quae supra attulimus connexu patebit. Quum enim Cicero loquitur de anno 550 addit haec: „illius autem aetatis qui sermo fuerit ex Naevianis scriptis intellegi potest. His enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus: quamquam Varro noster, diligentissimus investigator antiquitatis, putat in hoc erratum vitamque Naevii producit longius. Nam Plautus viginti annis post illos quos ante dixi consules mortuus est, Catone censore.“

Videntur verba „nam Plautus etc.“ coniungi posse aut cum verbis „Varro producit longius“ aut cum „his enim consulibus Naevius est mortuus.“ Sed si hanc rationem sequimur, difficultates oboriuntur gravissimae. Naevius enim exemplum diceretur sermonis quo anno 550 utebantur, Plautus

---

[1]) Gell. N. A. 7, 8, 5. — [2]) Verba extant apud Livium 29, 20 quibus Q. Metellus laudavit Scipionem. — [3]) Cic. Brut. 15, 61.

vero exciperetur quum is tamen et illo tempore florere inciperet et ab ipso Cicerone[1]) una cum Naevio exemplum puri sermonis nominetur quo Laelia usa sit. Coniungenda sunt igitur illa verba cum iis quae statim antecedunt caussamque exprimunt cur Varro Naevii vitam produxerit, videtur enim haec eius ratio fuisse ut aequalium poetarum dies supremos nimio temporis spatio seiungere noluerit. Unde apparet, Varronem certe plus quam duobus annis vitam Naevii produxisse, simul vero videmus, eius rationem cedere debere veteribus commentariis quos Cicero inspexit.

Praeter annum quo Naevius mortuus est notum est quo fere tempore primum fabulas docuerit quode quum testimonium dubium sit et viri docti dissentiant, paullo accuratius inquirendum est. Gellius[2]) enim: „Anno deinde, inquit, post Romam conditam quingentesimo undevicesimo Sp. Carvilius Ruga primus Romae de amicorum sententia divortium cum uxore fecit quod sterilis esset iurassetque apud censores uxorem se liberum quaerundorum caussa habere, eodemque anno Cn. Naevius poeta fabulas apud populum dedit, quem M. Varro in libro[3]) de poetis primo stipendia fecisse ait bello Poenico primo idque ipsum Naevium dicere in eo carmine quod de eodem bello scripsit.“

Nullus alius locus extat ubi de tempore quo primum Naevius fabulas dedit veteres loquuntur; quid vero ex hoc loco eliciatur postea videbimus si de dubia anni huius notatione dixerimus.

Namque alio loco[4]) idem Gellius dicit: „Servius quoque Sulpicius in libro quem composuit de dotibus tum primum cautiones rei uxoriae necessarias esse visas scripsit, quum Sp. Carvilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, divortium cum uxore fecit quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur, anno urbis conditae quingentesimo vicesimo tertio, M. Atilio, P. Valerio consulibus.“ Con-

1) cf. Cic. de orat. 3, 12, 45. — 2) cf. Gell. N. A. 17, 21, 45. — 3) cf. Ritschelium Par. p. 136. — 4) cf. Gell. N. A. 4, 3.

sules vero quos hic Gellius nominat non sunt anni 523 sed anni 527.

Contra utrumque vero locum pugnat quod dicit Dionysius Hal:[1]) ὑπατευόντων Μάρκου Πομπωνίου καὶ Γαίου Παπυρίου πρῶτος ἀπολῦσαι λέγεται τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα Σπούριος Καρουίλλιος. Generali numero eandem rem definit Valerius Maximus[2]) quum dicit nullum Romae divortium factum esse usque ad annum vicesimum et quingentesimum. Plutarchi liber autem qui inscribitur Comp. Lyc. et Num. sine dubio capite tertio mendum contraxit quum annum ducentesimum tricesimum post Romam conditam exhibeat.

Ut igitur nunc incertos illos numeros omittamus res nobis est tantum cum duobus Gellii locis et cum Dionysio. Atqui Gellius[3]) sine dubio refert quod Servius Sulpicius in libro de dotibus memoriae tradiderat, qui si anno 523. M. Atilium et P. Valerium consules fuisse narrat, nescio quomodo facilius rem solvamus quam si statuimus Sulpicium aliam temporum rationem sequntum esse ac Varronem quum illos consules qui sunt anni 527 e Varronis computatione anno 523 tribuat. Cum Diodoro igitur sequitur Polybium qui Ol. 7, 2 Romam conditam esse statuit.

Namque haec ratio est certe facilior quam ex qua consulum nomina huc irrepsisse censent, quod quomodo accidisse statuant vix assequor.

Dionysius vero quum legerit anno 523 factum esse divortium inconsiderate eorum consulum nomina adposuit qui in fastis consularibus illi anno adscripti erant, quamquam plerumque aliam rationem tenet.

Quae coniectura qualiscunque est si cui placuerit, habebit is mecum duo tantum testimonia quorum utri fides habenda sit dubitari possit. Gellius enim annum 519 intellegit quo erant consules T. Manlius Torquatus et G. Atilius Bulbus II; Sulpicius vero annum 527 quo consules fuisse constat P. Valerium Flaccum et M. Atilium Regulum.

---

[1]) Ant. Rom. 2, 25. — [2]) Val. Max. 2, 1, 4. — [3]) Gell. N. A. 4, 3.

In qua re non dubito maiorem fidem Servio Sulpicio habere, qui proprio libro de re uxoria inquisivit, quum Gellius ipse profiteatur se nec acri nec subtili cura ex aliorum libris suas res congessisse.

Quodsi Gellius paullo post dicit, annis fere quindecim post sumptum esse bellum Punicum, hoc nihil probat quam Gellium bene computasse postquam semel annum 519 statuerit, rem ipsam non firmat.

Sed haec de hac re sufficerent nisi Schüttius [1]) obiecisset annum 527 esse reiciendum quod tum censores nulli fuerint, cui iam Ritschelius [2]) qua uti solet ingeniosa brevitate respondit, hic omnino de censoribus non quaeri; narrat enim Gellius Carvilium uxorem egregie dilexisse sed iurisiurandi religionem animo atque amori praevertisse, iuraverat enim apud censores uxorem se liberum quaerundum gratia habere (cf. Gell. N. A. 17, 21) seu habiturum. Unde intellegitur eum postquam uxorem duxerit in proximo fortasse censu iurasse; itaque quum videret post aliquod tempus, cuius spatium definiri non potest, uxorem sterilem esse, dimisit eam.

Quum statuerimus igitur divortium illud factum esse anno 527 aliam quaestionem movit Ritschelius [3]) hisce fere verbis: „Ne hoc quidem satis certum est, utrum eodem anno quingentesimo undevicesimo an eodem quo Carvilii divortium factum sit voluerit Gellius datas a Naevio fabulas dicere.“

Atque Ritschelius quidem ipse censet Gellium non ex factorum nexu sed ex annorum ordine facta hinc illinc allata conserere praesertim quum non pateat quid vinculi intercesserit inter Carvilii divortium et Naevii fabulas. Nec scio quid proferri possit contra hanc viri doctissimi sententiam.

Ex alio igitur fonte hanc rem hausisse Gellius videtur et fortasse [4]) ipse Varro in libro de poetis primo Naevium anno 519 fabulas docuisse dixit. Ut igitur brevibus verbis sententiam meam de Gellii loco complectar, dicit, Naevium

---

[1]) p. 14. — [2]) Ritschel. Par. p. 69. — [3]) Par. p. 68. — [4]) Quamquam pro certo dicit Klussmannus p. 13 testem huius rei esse Varronem.

fabulas dedisse anno 519, consulibus T. Manlio et C. Atilio, quum vero alias legerit, coss. M. Atilio et P. Valerio Rugam divortium fecisse, Atilii consulis nomine falsus hanc rem adscripsit ad eundem annum 519.

Quodsi quis Gellium ab eiusmodi erroribus alienum putat nescio quam rationem faciliorem explicandae rei adhibere velit.

Iam vero ne nunc quidem scimus quo anno primum fabulas Naevius docuerit; Gellius enim nihil dicit nisi „eodemque anno Gn. Naevius poeta fabulas apud populum dedit.“ Idem apertis quidem verbis paullo ante dixerat Livium primum omnium Romae fabulas docere coepisse, qua re conicere quis possit hic quoque de primis Naevii fabulis Gellium loqui; attamen quum paullo post tempus tantum indicet quo Plautus in scena floruerit, inde eodem iure concludere licet, Naevium tunc non primum docuisse sed in scena floruisse. Fortasse enim Varro certa testimonia habuit quibus fretus huic anno hanc illamve Naevii fabulam tribueret.

Antequam Naevius fabulas docuit stipendia meruit bello Punico primo[1]), quod bellum quum gereretur annis 490 usque ad 513 Romani vero ante annum decimum septimum arma non sumerent, Naevius natus est certe ante annum 496 nisi forte quis statuere malit, acerrimo illo bello etiam ante aetatem lege praescriptam pueros ad arma esse convocatos. Sed alia ratio accedit qua definire licet quo tempore Naevius natus sit.

Cicero[2]) enim dicit, Naevium senem gavisum esse suo bello Punico, quum vero senex nemo a Cicerone nominetur nisi sexagenarius[3]), Naevius, qui mortuus est anno 550, natus est aut anno 490 aut ante hunc annum, quam ob rem Ritschelius quoque eum natum autumat inter annos 480 et 490[4]).

---

[1]) Gell. N. A. 17, 21 — [2]) Cic. Cat. M. 14, 50. — [3]) cf. Ritschelii Par. p. 62. cf. Varronem apud Censor. de dic nat. 14. — [4]) cf. Ritschelii par. p. 50. Mommsenius hist. Rom. I[b] p. 880 Naevii vitam ponit inter annos 490 et 560.

Qui Campanum Naevium esse voluerunt, eum dicunt inter cives Campanos militasse [1]) nos qui Romanum eum fuisse censemus, legionibus eum adscribimus, civem vero poetam fuisse certo inde colligitur quod stipendia illo bello meruit. Nonnulli vero viri docti [2]) censuerunt, Naevium quod stipendia meruerit ipsum suarum fabularum actorem non fuisse. Quam sententiam vereor ne incautius protulerint. Namque, ut concedamus iam tum hominem qui in scenam prodisset, stipendia merere non potuisse, tamen inde quod antea stipendia meruit concludi nequit, eum postea in scenam non prodiisse. Sed ne id ipsum quidem constat quo tempore lata sit illa lex qua fabularum actores capite deminuebantur. Me ut censeam Naevium suas fabulas egisse movent Livii verba [3]): „idem Livius post aliquot annos qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere (idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor) dicitur etc." Quo loco, si quid video, Livius non potuit dicere „omnes tum poetas carmina sua egisse" si statim Naevius excipiendus erat [4]). Accedit altera ratio: Ut postea videbimus Naevius saepe principes civitatis laedebat, quae crimina ut dilueret, in vincula coniectus duas fabulas scripsit. Atqui verisimile est, Naevium eiusdem generis carminibus crimina diluisse quo antea principes laeserit, ut eosdem palinodiae auditores haberet, qui exprobrationes audissent. Itaque si praecipue in scena principes laeserat [5]) non video quomodo hac re culpam sibi contraxerit, nisi ipse in scenam prodibat. Namque quum aediles curules inde ab anno 541 fabulas si non emerent, [6]) curarent tamen ne quid fabulae offenderent,

---

[1]) cf. Niebuhr. II Nota 105. — [2]) cf. Momms. I b p. 880 nota. — [3]) Liv. 7, 2. cf. Euanthius de com. et trag.: Latinae fabulae primo a Livio Andronico scriptae sunt ad cunctas res quum etiam tum recentius idem et poeta et actor fabularum suarum fuisset. — [4]) Niebuhrius I p. 543 N. 1078 censet Romanos sine ignominia praetextarum et togatarum personas agere potuisse. — [5]) cf. Koepkius Eph. LL. A. A. 1835 p. 1230. — [6]) cf. Osann an. cr. p. 143 qui propter Festi testimonium s. v. scriba censet Livii tempore poetas non argentum sed aliud praemium accepisse.

hi ipsi rei faciendi erant si quid eiusmodi acciderat; sed si Naevius ipse agebat, tum quidem facillime hanc illamve iniuriam innectere ex tempore potuit propter quam poena ei solvenda erat [1]).

Restàt ut de ratione disseramus quae intercesserit inter Naevium et principes civitatis, qua praecipue apud posteros notus fuisse videtur. Gentem Naeviam plebeiam fuisse constat, M. enim Naevius tribunus plebis erat [2]) et Cicero Sextum Naevium hominem humili loco natum adpellat [3]) cuius familiae si Gn. Naevius erat, quod ne statuamus nihil nos impedit, inde iam concludere licet, illum principes civitatis odio persequutum esse, quorum nulli se gratia devinctum sentiret, quum ceteri poetae qui illo tempore Romae clari facti sunt magis minusve a principibus civitatis beneficiis tenerentur. Praecipue vero contra duos verborum fulmina vibravit, contra Scipionem et contra Metellum. Quorum illum quibus verbis Naevius laeserit, Gellius memoriae tradidit [4]), quum enim narrarit P. Scipionem Africanum maiorem Carthagine nova expugnata, virginem Hispanam inviolatam patri reddidisse, addit: „Nos satis habebimus id dicere, Scipionem istum, verone an falso incertum, fama tamen, quum esset adolescens, haud sincera fuisse et propemodum constitisse, hosce versus a Gn. Naevio poeta in eum scriptos esse:

Etiam qui res magnas manu saepe gessit gloriose
Cuius facta viva nunc vigent qui apud gentes solus praestat
Eum suus pater cum pallio uno ab amica abduxit.“ [5])

Naevius fortasse hoc versus illo ipso tempore protulit quo fama illius facti quod Gellius narrat per omnium ora

---

[1]) Ut post multos annos atellani principes laeserunt ex tempore cf. Sueton. Calig. 27 etc. cf. Stievium de rei scenicae apud. Rom. origine Berol. 1828 p. 59. — [2]) cf. Liv. 38, 56. — [3]) cf. Cic. pro Quint. 3, 11. — [4]) cf. Gell. N. A. 7, 8, 5. — [5]) Versus dedi ex recensione O. Ribbeckii com. rell. Naev. inc. fab. III, quos quum antea viri docti saturnios esse credidissent, Klussmannus et Fleckeisenus ep. crit. ad M. Hertzium p. 29 ex comoedia eos sumptos esse viderunt.

volavit, tunc enim maximi momenti hi versus erant. Nec tamen Scipionis nomen prostituit Naevius[1]) nec facta eius detrectavit, sed noluit iuvenem propter tam leves res in coelum tolli quem ipse sciebat omnibus naturae humanae vitiis affectum esse; atque inprimis Graeci mores displicuerunt poetae, hoc enim ostendit pallium, vestimentum Graecum quo adolescentem indutum fuisse dicit. Et nisi leves illius mores praecipue inrisisset, quid retinuit Naevium quominus in Africani avunculos inveheretur, quos tamen omnino intactos reliquit.[2]) Alii quoque versus extant quibus apparet, non propterea illum in principes esse invectum quod principes essent, sed quod novorum morum cupidi viderentur. Cicero[3]) enim refert: „quodsi legere aut audire voletis externa, maximas respublicas ab adulescentibus labefactatas a senibus sustentatas reperietis

„Cedo qui vestram rempublicam tantam amisistis tam cito? sic enim percontabantur, ut est in Naevii poetae Ludo, respondentur et alia et hoc inprimis:

„Proveniebant oratores novi stulti adulescentuli.“

quos versus etsi e Graeca comoedia sumpti sunt, tamen Naevius certe rebus Romanis adaptavit.

Itaque non solum hoc de Graecorum poetarum more[4]) fecit quod principibus illusit; sed etiam quod antiquos mores contra novos illorum principum defendere quam maxime conabatur. Attamen postea quum videret quanto odio Africanus contra Poenos pugnaret, certe Naevius eum persequi desiit, quin, ut iam diximus, quum Roma pelleretur, castra eius sequutus esse videtur. Neque tamen principes quieto animo sibi obtrectari passi sunt, sed effecerunt ut in vincula poeta

---

1) „Propemodum constitit“ dicit Gellius. — 2) cf. Ritsch. par. 57. cf. Cic. Rep. 4 ap. Aug. C. D. 2, 9: „Sed Periclem quum iam suae civitati maxima auctoritate . . . praefuisset violari et agi in scena non plus decuit quam si Plautus noster voluisset aut Naevius Publio et Gnaeo Scipioni aut Caecilius Marco Catoni maledicere.“ — 3) cf. Cic. Cat. M. 6, 20. cf. Ribbeck com. rell. p. 14 s. n. ludus. — 4) cf. Gell. 3, 3, 15 qui veterem comoediam intellegere videtur.

coniceretur, quam rem Gellius[1]) narrat hisce verbis: „Sicut de Naevio quoque accepimus fabulas eum in carcere duas scripsisse, Hariolum et Leontem, quum ob assiduam maledicentiam et probra in principes civitatis de Graecorum poetarum more dicta, in vincula a triumviris coniectus esset. Unde post a tribunis plebis exemptus est quum in his quas supra dixi fabulis delicta sua et petulantias dictorum, quibus multos ante laeserat, diluisset."

Quem locum plerique viri docti sic intellexerunt ut statuerent, Metellum consulem, de quo postea loquemur, Naevium in vincula conici iussisse anno 548. Sed haec res ad modum dubia est, quum nulli scriptores certum quid de hac re tradiderint, nihil enim constat quam Metellum minatum esse saturnio propter saturnium; Naevius vero non propter saturnios sed propter fabulas in carcerem coniectus esse videtur, in quibus id temporis saturnios fuisse nec scimus nec veri est simile. Itaque nemo, credo, obloquetur si Naevium ante Metellum consulem in carcerem mittimus anno 544 vel 543 postquam versus illos in Scipionem edidit. Quod vero a triumviris prehendebatur, non indicat peregrinum illum fuisse, sed tantum civem infimi ordinis quum hi quoque in triumvirum essent potestate[2]). Hi igitur poenis eum affecerunt quum lege duodecim tabularum iam cautum esset, ut si quis populo occentarit carmenve condiderit quod infamiam fecerit flagitiumve alteri, is fuste feriatur." Diu eum in carcere fuisse inde apparet quod duas fabulas ibi scripsit. Dolores vero quos ibi passus est describit Plautus, cuius verba[3]) interpretes de Naevio dicta iure arbitrantur freti Pauli testimonio[4]) qui „Plautus, inquit, Naevium poetam Latinum barbarum dicit."

Plauti autem verba haec sunt:

---

[1]) cf. Gell. ib. — [2]) cf. Zumpt ad Cic. Verr. p. 36. cf. Klotz ad Cic. pro Cluent. 13, p. 614. — [3]) cf. Plaut. Mil. Glor. 2, 2, 56. Hinc Windischmanni sententia aliquam veri speciem nanciscitur qui Militem ante 550 actam esse censet. — [4]) cf. Paul. Festi p. 36 M.

„Nam os columnatum poetae esse indaudivi barbaro
Cui bini custodes semper totis horis occubant."

Post longum denique temporis spatium tribuni plebis eum ex vinculis liberarunt, fortasse ipsa plebe tunc poscente ut suus sibi poeta redderetur [1]). Sed nec principes studia sua mutaverant nec Naevii antiquum ingenium fustibus vinculisque obtusum erat; itaque pulsus est Roma factione nobilium ac praecipue Metelli.[2]) Metellos enim saepe a Naevio lacessitos esse referunt grammatici [3]); omnium autem illarum contumeliarum unum versiculum, quod bonus saturnius esset, grammatici nobis servarunt:

„Fato Metelli Romae fiunt consules[4])" cui tunc Metellus consul iratus versu responderat senario hypercatalecto qui et saturnius dicitur:

„Dabunt malum Metelli Naevio poetae[5])." Asconius hos versus laudat ut verba explicet quibus Cicero Q. Metellum alloquitur: „Nam hoc Verrem dicere aiebant, te non fato, ut ceteros ex vestra familia, sed opera sua consulem factum;" quo loco illud „fato" aperte idem significat ac „fortuito". Itaque interpretes laborarunt [6]) ut etiam illum Metellum, in quem Naevius scripsit, fato, id est ante aetatem lege praescriptam, ad consulatum accessisse demonstrarent. Sed non video cur Verris illi sales nostram interpretationem restringant, ille enim facile anceps vocabulum „fato" quod et „perniciei" et „fortuito" significat, in suam rem vertere potuit ut opponeretur verbis „sua operâ"; nec tamen propterea Naeviani versus haec sententia fuit [7]). Ac profecto male a

---

[1]) Pahlius de fab. Rom. pall. et tog. Berol. 1841 p. 39 falso dicit Naevium bis in carcerem esse coniectum primum quidem quum Scipionem laesisset, deinde vero quum in Metellos invectus esset. Ritterus p. 332 censet tribunos plebis antea non intercessisse ne quid gravius Naevius pateretur. — [2]) cf. Hieron. ad Eus. Chron. Ol. 144. — [3]) cf. Terent. Maur. p. 2439: Et Naevio poetae sic ferunt Metellos Quum saepe laederentur esse comminatos. cf. Atilius Fort. p. 2679. — [4]) cf. Atilius p. 2698. cf. Plotius p. 2650. — [5]) cf. Ascon. Ped. ad. Cic. Verr. 1, 10. — [6]) cf. prae ceteris Drumann. hist. Rom. II. p. 17. — [7]) Accedit quod illo tempore lex annaria nondum lata erat.

Metellis respondebatur „Dabunt malum Metelli Naevio poetae“ si ille dixerat: „Fortuito atque casu Metelli consules fiunt.“ Si vero dixerat: „Malum Metelli Romae dant consules“ facetius nihil excogitari potest quam breve Metellorum responsum.

Asconio igitur teste, Metellus consul huic versui Naeviano responderat et quum anno 550 Naevium pulsum videamus Metellorum factione, iam inde apparet, hunc Metellum fuisse Q. Caecilium Metellum consulem anni 548, nec opus erit me caussas addere cur L. Caecilium Metellum, Q. patrem, fortissimum virum ab Naevio hic lacessitum non esse censeamus[1]). Metellos autem maxime oderat poeta forfasse quod L. Metellus post pugnam Cannensem anno 538 e patria fugere constituit, cuius frater consul ille Q. erat, qui ipse novos Naevioque invisos mores coluit. Quod vero Naevius de consulibus Metellis non de consule loquitur nec de patre Metello eiusque filiis cogitandum nec divinandum de futura Metellorum gloria erat. Illo enim ipso tempore Metelli maxime florebant, quum tres fratres summis honoribus fungerentur, erat enim Q. Metellus anno 548 consul et M. Metellus praetor, L. autem Metellus anno 540 quaestor fuerat.[2])

Concidit igitur dubium illud quod Zumptius[3]) de Naevio illius versus auctore movit, qui quum videret admirabilem illam Metellorum fortunam anno demum 611 coepisse, censuit hunc versum postea a grammaticis fictum esse quippe qui antiquum Naevii odium in Metellos bene nossent. Sed eadem fere res est quam supra vidimus quum de Naevii versibus in Africanum scriptis dicebamus, qui quum antea magnam iam gloriam nactus postea magis celebraretur, viri docti in maiorem illam gloriam Naevianos versus conicere vo-

---

[1]) cf. Ritter p. 331. — [2]) Pluralis numerus in Naevii versu optime quoque explicatur si dixit Naevius „fato est Romae quod unus e Metellis consul factus est, Metelli igitur ad consulatus honorem admittuntur. — [3]) cf. Zumpt. ad Cic. Verr. p. 72. Ritterus p. 329 versum contra Zumptium defendit, quod vero illum ex bello Punico haustum esse existimat, fallitur ut videbimus si de illo carmine sermo erit.

luerunt. Nobis vero propter hanc rationem magnum illud agmen grammaticorum, quamvis levium testium, reicere non licet, sed censemus re vera poetam versu laudato Metellos laesisse, qui quomodo hanc iniuriam ulti sint vidimus; factione enim conflata senem ex urbe expulerunt, scilicet ut Graecis moribus locus daretur expellendus erat ille vir qui ne aetatis quidem suae curam habuit si modo Romanos mores servaret [1]), qui

primores populi arripuit populumque tributim
scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis. [2])

De poetae gentilibus quorum magnus numerus inde ab illo tempore commemoratur nihil fere addendum est, plerique enim a poeta nihil nisi liberam linguam haereditate accepisse videntur. Unus tantum isque poetae aequalis Q. Naevius Crista anno 540 militia laudem meruit [3]), idem fortasse centurio contra Capuanos pugnavit, 543. Alter Q. Naevius anno 560 Latinos in coloniam deduxit [4]) coloniaeque anno 562 vibonem deducendae triumvir erat [5]). Tertius denique M. Naevius tribunus plebis Scipionem accusavit a 569 quod corrumpi sese passus esset a rege Antiocho [6]). Ceteros omnes omittam ne etiam scurrae illius Sexti Naevii pluribus verbis mentio facienda sit, sufficit enim addidisse Naeviorum gentem perdurasse usque ad Quintiliani aetatem multisque in inscriptionibus Naeviorum nomina legi.

[1]) cf. Hertz. p. 235. — [2]) verba Horatii de Lucilio Sat. 2, 1, 68. — [3]) cf. Liv. 24, 20. — [4]) cf. Liv. 34, 53. — [5]) cf. Liv. 35, 40. — [6]) cf. Gell. N. A. 4, 18, 3.

DE BELLO PUNICO.

Plerumque in initiis poesis omnes principem illum qui fontem Pegaseum aperuit sequuntur, namque componunt eosdem versus easdemque carminum leges sibi proponunt. Nec certe aliter Romae evenisset nisi extitisset vir qui quum intime Graecorum studiis inbutus esset tamen Romanum ingenium servavit integrum atque incorruptum. Itaque quum Livius carmini epico viam aperuisset vertenda Odyssea Homeri in linguam Latinam, statim aliud insequutum est epo quo non solum celebrabantur res illa aetate cum summ gloria a populo Romano gestae sed etiam narrationes illa fabulosae innectebantur quae circa urbis originem tamquan rami ac folia circum arboris stirpem sese applicaverant. Licet fabulosae illae narrationes magna ex parte a Graecis scrip toribus ortae atque e Graecis carminibus ad res Romana translatae sint, multae tamen longo temporis spatio ab ipsi Romanis in laudem pristini illius aevi erant inventae. Ha omnes unus poeta collegit vivoque colore ornatas popul ostendit memoriaeque tradidit, connectens primam urbis ori ginem cum summo virilitatis flore.

Gn. Naevius qui ipse bello Punico primo stipendia me ruerat[1]), postquam multas fabulas Graeci, nonnullas Latin argumenti dedit, senex fere, scena deserta in campum pro siluit et res fortiter a Romanis gestas laudibus ornavit

---

[1]) Varro ap. Gell. N. A. 17, 21, 45.

Quid eum ad hoc opus inpulerit nescimus utrum rerum gestarum magnitudo an quod ad bellum contra Poenos persequendum animos excitare voluerit. Senem Naevium iam fuisse quum hoc carmen conderet patet ex verbis Ciceronis [1]) qui quum exponit etiam senes multis rebus gaudere, exemplum addens dicit: „Quid in levioribus studiis sed tamen acutis? Quam gaudebat bello suo Punico Naevius, quam Truculento Plautus quam Pseudolo“ quae verba totius loci connexu declarant non solum gavisos esse senes carminibus quae iuavenes fecissent sed etiam senes fecisse bellum et fabulas. Audacius vero Ritterus [2]) versu in Metellos conscripto utitur quo demonstret, Naevium anno 548 bellum Punicum edidisse, praefractis utpote verbis contendens versum illum esse ex bello Punico sumptum; censet enim Naevium quum alterum consulatum L. Caecilii Metelli descripsisset embolio quodam delatum esse ad eius filium consulem anni 548. Sed quibus rationibus illum versum in bellum Punicum intrudat ipsi lectores iudicent. Primum enim dicit, quum non addatur carmen unde hic versus haustus sit, sponte notissimum poetae carmen menti obversari, qua ratione si vir doctus semper uteretur omnia fabularum fragmenta quae nunc incerto loco vagantur inferciret in Lycurgum Danaenve, si tragica sunt, si vero comoediam sapiunt in Tarentillam, quam rem ne ipse quidem conabitur.

Deinde, inquit Ritterus, quum saturnius ille versus sit nec saturnii locum habeant in Naevianis fabulis, quae Graecis metris conscriptae sunt, satirae vero carminave obtrectatoria Naevii nulla memorentur, nihil restat nisi hoc ut sit versus belli Punici. Saturnium sane cum toto grammaticorum grege agnosco, alterum quoque illud cum Rittero contendo, in fabulis Naevium saturnio non esse usum [3]), at quis dixit Rittero, Naevium nulla epigrammata scripsisse qui sibi ipse in sepul-

[1]) cf. Cic. Cat. M. 14, 50. — [2]) cf. Ritter Eph. LL. A. A. 1841 p. 330.
[3]) Quamquam Osannus an. crit. p. 6 Livium et Naevium in comoediis nonnunquam saturniis esse usos existimat.

chrum epigramma versibus saturniis scripsit? Certe igitur his rationibus non efficitur, anno 548 bellum Punicum esse editum. Quin si rationem verisimiliorem sequimur, melius se res habet, si uni Naevii versiculo uno versu Metellus respondit; quod si statuimus simul effugimus omnes illas difficultates quibus Ritterus defatigatur quum censuerit, Naevium in primi belli Punici descriptione meminisse consulis anni 548. Nos igitur testimonio Ciceronis contenti esse debemus; quodsi quis cum Rittero [1]) statuere vult poetam carmen coepisse medio fere bello Punico altero, non intercedo. Ritterus nempe quamquam id non dicit, videtur tamen eam rationem sequi ut statuat, quum Vergilius duodecim libros duodecim annis conscripserit Naevio quoque ad septem libros conscribendos septem annorum spatio opus fuisse, quae ratio quam debilis sit vident omnes, quum nec magnitudinem librorum belli Punici noverimus et constet Vergilium inaudita tarditate usum esse.

Saturniis versibus Naevium bellum Punicum scripsisse nisi ipsa fragmenta iam satis demonstrant, veterum testimonia docent. Ennius [2]) enim id significare videtur quum Naevium intellegens dicit:
„scripsere alii rem vorsibus quos olim Faunei vatesque canebant"
et Festus [3]) refert: „saturnii appellantur quibus et a Naevio bellum Punicum scriptum est et a multis aliis plura composita sunt."

Ipse poeta carmen composuit uno volumine et continenti scriptura [4]) divisit vero in septem libros G. Octavius Lampadio, qui grammaticus Sullae tempore Romae florebat. Hanc igitur Octavii recensionem omnes grammatici qui frustula belli Punici servarunt ante oculos habuisse videntur.

Nostrum nunc erit quaerere de nomine quo carmen inscriptum erat, de rebus quas complectebatur de earumque

---

[1]) cf. Ritter. l. l. p. 334. — [2]) cf. Ennii fgt. rec. Vahl. Ann. 7, 1. — [3]) p. 325 M. — [4]) cf. Sueton de Gramm. 2. De Lampadionis divisione etiam Nonius loqui videtur s. v. septemfariam p. 170 M.

listributione, postremo de loco quem tenet Naevii liber in literis Latinis.

Atque primum quidem ut verum carminis nomen constituamus, necesse est percenseamus grammaticorum testimonia qui Naevii mentionem faciunt, quam rem sic instituemus ut non ipsos locos afferam ubi grammaticorum verba leguntur sed ablegem lectores ad Vahleni recensionem belli Punici ubi qui vult librorum paginas inspicere potest. Merito hic primo loco ponitur princeps ille Romanorum grammaticorum, Varro, qui sexies[1]) versus saturnios e Naevii libris nullo carminis nomine addito laudat, sine dubio ex bello Punico exempla hauriens, uno vero loco Naevii bellum Punicum opponit Naevianis fabulis[2]). Gellius[3]) quoque narrat Varronem dixisse Naevium bello Punico primo stipendia meruisse idque ipsum Naevium dicere in eo carmine quod de eodem bello scripsérit. Varro igitur Naevii librum appellat „bellum Punicum" dicitque bellum Punicum primum in eo esse descriptum. Cicero[4]) Naevii „bellum Punicum" laudat. Festus quoque solum Naevii nomen saturniis versibus addit quinquies[5]) quocum conferendi sunt duo loci Pauli[6]). Ex ceteris Festi frustulis haec finguntur:

[Nae]vius belli Pu[nici libro] cf. Vahl. inc. 8 [Naevius] qui ait in belli [Punici libro] cf. Vahl. inc. 12. Naevius de [bello Puni] co cf. Vahl. inc. 16 inverso vero ordine citat librum semel[7]) „Naevius in carmine Punici belli". Semel quoque Ennium pro Naevio nominat[8]):

Apud Priscianum quater[9]) citatur Naevius in carmine belli Punici bis Naevius in carmine belli Punici primo[10]), deinde Naevius in *II* belli Punici[11]) et Naevius in carmine belli Punici *II*[12]); addito quoque libri numero Charisius

[1]) cf. Vahl. 1, 11; 2, 4; 2, 5; 5, 1; inc. 3; inc. 11. — [2]) cf. Vahl. inc. 8. — [3]) cf. Gell. N. A. 17, 21, 45. — [4]) cf. Cic. Cato M. 14, 50. — [5]) cf. Vahl. 3, 4; 3, 5; inc. 6, 10, 15. — [6]) cf. Vahl. 3, 2. inc. 6, 8; — [7]) cf. Vahl. inc. 1. — [8]) cf. Vahl. inc. 17. — [9]) cf. Vahl. 1, 8; inc. 2, 9, 13. — [10]) cf. Vahl. 1, 4; 1, 18. — [11]) cf. Vahl. 2, 6. — [12]) cf. Vahl. 2, 1.

citat „Naevius belli Punici libro primo“ [1]). Gellius praet eum locum quo Varronis testimonium de Naevio refert citat „Naevius in libris belli Poenici“ [3]). Macrobius que certo scimus Naevii librum in manibus habuisse, quater illu laudat quum dicit:

„a Naevio est ex primo libro belli Punici“ cf. Vahl. 1, 1
et „Naevius belli Punici libro primo“ cf. Vahl. 1, 17.
et „Naevius belli Punici libro secundo“ cf. Vahl. 2, 7.
et „Naevius poeta in bello Punico“ cf. Vahl. inc. 4.

Servius ter [4]) Naevii nomen solum exhibet appositis sa turniis versibus, deinde laudat „Naevius bello Punico“ [5]) „de Naevio belli Punici libro“ [6]), „Naevius in primo bell Punici [7]), „Naevius belli Punici primo“ [8]). Lactantius quo que de Naevio in libris belli Punici [9]) loquitur et Donatu memorat „Naevii in bello Punico“ [10]). Isidorus denique et Naevium laudat [11]) et „Naevium in bello Punico“ [12]). Postremo ut ceterorum grammaticorum farraginem omittamus Noni mentio est facienda apud quem plurima belli Punici frag menta dispersa et variis modis laudata invenimus, ibi enim legimus; „Nevius carmine Punici belli“ [13]). „Nevius Poenici belli lib. VI“ [14]). „Nevius belli Poenici lib. II“ [15]). „Neviu belli Poenici lib. III“ [16]). „Nevius belli Poenici lib. IV“ [17]) „Nevius belli Poenici lib. VI.“ [18]) et „Nevius belli Poenici lib. VII“ [19]).

Atque hanc testimoniorum molem congessi ut si quid dubii de carminis nomine existat statim id corruat; nunc enim unusquisque videt, verum carminis nomen nec fuisse „liber de bello Poenico“ nec „carmen“, sed simplici modo „bellum Punicum“ Naevius carmen suum nominavit. Nec propterea quod hic illic occurrit nomen inversis vocabulis scrip-

---

[1]) cf. Vahl. 3, 3. — [2]) ib. 7, 1. — [3]) ib. inc. 14. — [4]) ib. 1, 5; 1, 12; 2, 3. — [5]) ib. 1, 7. — [6]) ib. 1, 9. — [7]) ib. 1, 16. — [8]) ib. 1, 6. — [9]) ib. 1, 5. — [10]) ib. inc. 7. — [11]) ib. inc. 4. — [12]) ib. inc. 5. — [13]) ib. 1, 3. — [14]) ib. 6, 4. — [15]) ib. 1, 14 bis — [16]) ib. 2, 2; 3, 1. — [17]) ib. 4, 1; 4, 2; 4, 3; 4, 4. — [18]) ib. 6, 1; 6, 2 bis; 6, 3. — [19]) ib. 7, 1.

tum „Poenicum bellum“ sequetur quis hanc grammaticorum licentiam tamquam legem. Postremo etiam cautum est ne quis ex Gellii [1]) et Ciceronis [2]) verbis eruere conetur, carminis nomen fuisse „bellum Punicum primum“ namque etsi illud bellum hoc carmine describebatur, tamen carmen inde nomen non accepit.

Hoc igitur carmen ab Octavio Lampadione in septem libros divisum esse narrat Suetonius cuius cum testimonio optime congruit quod praeter septimum librum nullus maiore numero insignitus laudatur. Quas vero res poeta tractarit et quo rerum ordine usus sit, quantum divinando sana ratione assequi possumus, tentabimus exponere.

Atque primum quidem fragmenta quae primo libro Vahlenus collegit, satis ostendunt, Naevium narrasse de Aenea et Anchisa Troia fugientibus et in mari errantibus de Didone et Anna, de Sibylla Cimmeria cum Aenea colloquente. Deinde fragmenta secundi libri quem Vahlenus constituit mentionem faciunt Ammulli regis, Romuli, Palatini conditi et Aventini.

Tertio libro, si Vahleni recensionem sequimur, bello Poenis indicto, Marcus Valerius consul partem exercitus in expeditionem ducit, mentio quoque facta est militum qui si commilitones desererent, cum stupro ad suos redituri essent. Libro quarto transit Melitam exercitus insulamque populatur, pugna anceps describitur, victoribus caro distribuitur. De quinto libro nihil constat, Vahlenus vero in hunc librum ordinat fragmentum quo dictator curru invehi dicitur. Sexto legimus, septimum decimum annum aliquos homines alicubi sedisse, conteruntur legiones, convenit ut aliquis regnum habeat, Poenus expectatur. Libro septimo denique Naevius sui mentionem iniecit, pacis conditiones feruntur. Ex fragmentis incerti loci nihil concluditur de rebus quae narrantur, mentio tamen inicitur hostium qui fame cruciantur, navis aeratae quae comparatur, incendii, Samnitium, aliarum rerum

[1]) cf. Gell. N. A. 17, 21, 45. — [2]) cf. Cic. Brut. 19, 74.

quas quo loco ponamus nunc quidem in incerto relinquendum est.

Iam quaeritur qua ratione res narratae divisae fuerint in libros, qua in re constituenda etsi satis debilia sunt grammaticorum testimonia quum facillime per tot saecula numeri librorum mutati sint, tamen hi soli auctores esse possunt solique duces quos nisi de gravissimis caussis deserere non licet. Hos igitur si sequimur hanc fere librorum speciem inveniemus in quam reliqua fragmenta suis quaeque locis inserere possumus.

Lib. I.

Ei venit in mentem hominum fortunas (cf. Vahl. 1, 4).
Eorum sectam secuntur multi mortales
— — — — Multi alii e Troia
Strenui viri — — — — — — —
Ubi foras cum auro illuc exibant (cf. Vahl. 1, 6)

Venus Troianis tempestate laborantibus cum Jove queritur et secuntur verba Jovis Filiam consolantis spe futurorum (cf. Vahl. 1, 10) Prochyta . . hanc Naevius de cognata Aeneae nomen accepisse dicit. (cf. Vahl. 1, 16)

Silvicolae homines bellique inertes (cf. Vahl. 1, 17)
Inerant signa expressa quo modo Titani
Bicorpores Gigantes magnique Atlantes
Runcus ac Purpureus filii terras. (cf. Vahl. 1, 18)
— — — Marcus Valerius consul
Partem exerciti in expeditionem ducit (cf. Vahl 3, 3)

Lib. II.

Blande et docte percontat Aeneas quo pacto
Troiam urbem liquerit (cf. Vahl. 1, 14)
Iamque eius mentem fortuna fecerat quietem
(cf. Vahl. 2, 1)
Prima incedit Cereris Proserpina puer (cf. Vahl. 2, 6)
Dein pollens sagittis inclutus arquitenens
Sanctus Delphis prognatus Pythius Apollo. (cf. Vahl. 2, 7.)

Lib. III.

Postquam aves aspexit in templo Anchises
Sacra in mensa Penatium ordine ponuntur
Auratamque inmolabant victimam pulcram (cf. Vahl. 1, 2)
Manusque suсum ad coelum sustulit suas rex
Amulius gratulatur divis (cf. Vahl, 2, 2)
Simul atrocia porricerent exta ministratores (cf. Vahl. 3, 1.)

Lib. IV.

Transit Melitam Romanus insulam integram omnem
Urit populatur vastat-rem hostium concinnat (cf. Vahl. 4, 1)
Vicissatim volvi victoriam (cf. Vahl. 4, 2)
— — — — — verum praetor
Advenit auspicavit auspicium prosperum (cf. Vahl. 4, 3)
Eam carnem victoribus danunt (cf. Vahl. 4, 4).

[Lib. V.]

Lib. VI.

Septumum decumum annum ilico sedent (cf. Vahl. 6, 1)
Superbiter contemptim conterit legiones (cf. Vahl. 6, 2)
— — — — — convenit regnum
Simul atque locos ut haberet (cf. Vahl. 6, 3)
Censet eo venturum obviam Poenum (cf. Vahl. 6, 4)

Lib VII.

Id quoque paciscunt moenia sint Lutatium quae
Reconcilient: captivos plurimos idem
Sicilienses paciscit obsides ut reddant (cf. Vahl. 7, 2)

Haec fragmenta si inspicimus primo obtutu apparet M. Valerii locum non esse in libro in quo de Anchisa et Aenea sermo est, namque Naevium primo libro non iam ad ipsum bellum pervenisse inde colligitur quod etiam in altero libro Aeneas apparet. Primo igitur libro Aeneas cum Anchisa Troia fugit, tempestatibus laborat, Prochytae insulae nomen dat, venit ad silvicolas homines bellique inertes. Secundo libro aliquis blande et docte percontatur Aeneam, quam rem quum sciamus Naevium Didonis mentionem fecisse non possumus quin ad Didonem referamus, Carthagine igitur Aeneas

moratur. Tertio libro Anchises auspicium videt. et Amuli rex gratulatur divis. Quod nisi praeoccupato iudicio muta volumus, statuendum est, hoc libro Aeneam cum pat Anchisa Italiam venisse et res in Italia gestas fuisse narrata urbis Romae originem, alia. Quarto libro res gestas bel Punico invenimus, narratur enim quomodo Romani Melita insulam depopulati sint octavo belli anno; atque haec ip res in fine huius libri narrata esse videtur, ut conicere lice viginti tres seu quatuor annos belli Poenici ita in posterior libros fuisse distributos, ut libri IV, V, VI. septenos fe annos complecterentur, septimus vero ipsum belli finem Fragmenta libri sexti complecti videntur foedus cum Hiero rege ictum, pugnam qua elephantes Romanas legiones co terunt, deinde sermo de Romanis esse videtur qui id tem poris septimum decimum annum in Sicilia sedebant. Ultim denique libro Lutatium de pace cum Poenis agentem poe induxit. Atque hic quidem fortasse quis suspicari possit quum finis solum in hoc libro narraretur, poetam, ut libr magnitudinem cum ceteris aequaret, absoluto bello Punic primo, breviter et tamquam in transcursu descripsisse re inde ab illo tempore usque ad aetatem, qua carmen edeba gestas; in qua opinione firmare eum quodammodo posset il versus contra Metellos compositus. Attamen Naevii libe etsi annalibus sermone non multo praestitit, composition saltem longe diversus ab iis fuisse videtur, neque ullum aliu extat testimonium quo ad eiusmodi sententiam perducamu Quin totum illud opus optime distributum atque in se perfectum omnes alias res neglexisse videtur quae non intim connexae essent cum bello Punico.

Quod enim Aeneae errores descripsit non aberravit a recta via, quum illi errores tamquam semen spargerent und post multa saecula cruentus ille flos belli exortus est. Ne quidquam praeter hos errores et praeter Romae Carthaginisque origines attigisse poeta videtur [1]) sed statim ab origin

[1]) Mommsenus I b p. 904 eandem sententiam tuetur dicitque Ennium quoque obscura primae reipublicae tempora omisisse.

d ipsa belli Punici initia transiluit. Namque propter unum ocabulum „Samnite“[1]) nemo totam bellorum cum Samnitibus gestorum seriem in nostrum carmen inseret. Simili vero ex caussa qua in medio carmine omnes alias res omisit, censeamus necesse est, illum cum ipsa pace carmen simul ac belli descriptionem finiisse. Nec profecto video quomodo poeta, qui quatuor libris bellum Punicum primum complexus est, ultimo libro potuisset etiam brevissime omnes pugnas omnesque casus colligere quibus Roma ad ultimam fere perniciem propellebatur. Atque inscribitur sane carmen „bellum Punicum“ ut ex hac parte pateat ut etiam secundi belli partem in carmen nostrum inferciamus, sed primum tantum bellum Punicum a poeta descriptum esse nisi hae ipsae rationes satis evincunt, ostendunt duo loci Gellii et Ciceronis quorum Gellii quidem testimonium iam supra attulimus, qui Varronis verba haec fere laudat, Naevium stipendia meruisse bello Punico primo idque ipsum Naevium dicere in eo carmine quod de eodem bello scripserit. Cicero[2]) vero „sit sane Ennius, inquit, ut est certe perfectior: qui si illum ut simulat contemneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset.“ Primum igitur bellum Punicum eiusque origines Naevius carmine descripsit, nihil praeterea.

Itaque quum fines Naeviani carminis descripserimus singulorumque librorum argumentum grammaticorum testimoniis exstruxerimus, licebit iam inquirere, num nonnullis fragmentis quae incertae sedis feruntur, certum aliquem locum designare possimus. Est hoc quidem hariolari, nec desse puto, qui haec commenta derideant, sed ut illum qui per ruinas ambulat somniare non dedecet sic ille qui fragmenta tractat parum quid fecerit si hanc rem omnino intactam reliquerit.

Priusquam autem priorum trium librorum fragmenta distribuamus, circumspiciendum est quo duce in multiplicibus

---

1) Vahl. inc. 13. — 2) cf. Cic. Brut. 18, 79.

his labyrinthi viis utamur, atque ultro se offert ille qu Danten per inferni tenebras comitatus est Vergilius. „Sa enim adamat poeta, ut ait Servius[1]), ea quae legit divers modo proferre“, quam rem ut demonstret affert locum que Vergilius ex bello Punico expressit. Idem apertis verbi testatur Macrobius[2]) qui dicit: „In principio Aeneidos tem pestas describitur et Venus apud Jovem queritur de periculi filii, et Iupiter eam de futurorum prosperitate solatur. Hi locus totus sumptus a Naevio est ex primo libro belli Pu nici. Illic enim aeque Venus Troianis tempestate laboran tibus cum Jove queritur et secuntur verba Jovis filiam con solantis spe futurorum.“ Quamquam iidem testes qui nobi Vergilium ducem dederunt continuo fere spiritu nos admonent ne nimis illi credamus, quum saepe mutaverit et res et per sonas[3]) cuius rei exemplum luculentissimum praebet Servius[4]) qui dicit in Naevii bello Punico Anchisae et Aeneae mulieres noctu Troia egressas esse, quum apud Vergilium nulla fiat mentio mulieris Anchisae; inde non solum sequitur, Vergilium eam silentio praeteriisse, sed etiam, quum ille locus Aeneidis ita instructus sit ut omnes enumerentur qui tum una fugiebant, censendum est, ex Vergilii sententia Anchisae mulierem om nino non fugisse cum ceteris. Et profecto mirum esset si Vergilius semper idem narraret quod Naevius, quum constet, illum multorum librorum lectione inbutum ad suum opus accessisse.

His praemissis Naevii disiecta membra trium priorum librorum illis locis Aeneidos aptare studebimus qui aut eandem aut similem rem describunt. Poeta igitur postquam Musas invocavit (cf. Vahl. 1, 1.) describit nocturnam fugam Aeneae (1, 5.) cuius familiam sequuntur multi alii (1, 6 a.) qui aurum secum portant (1, 6 c). Deinde Aeneas cum patre Anchisa per mare vehitur atque procellis iactatur, in quo periculo Anchises Neptunum precatur (1, 8). Aeneas socios

[1]) cf. Serv. ad Verg. Aen. 1, 797. — [2]) cf. Macrob. Sat. 6, 2, 30. — [3]) cf. Macrob. Sat. 6, 2, 30. — [4]) cf. Serv. ad Verg. Aen. 3, 10.

d tolerandos labores cohortatur (1, 9). Sicut in Aeneide luribus tempestatibus Aeneas laborat, in bello Punico idem tatuere licebit, ut alia fortasse tempestate Venus Jovem atrem oret ut Troianos servet (1. 10). Haec patrem suum upremum adpellat (1, 11) eumque hortatur, se eius esse rogeniem (inc. 1. cf. Verg. Aen. 1, 250 Nos tua progenies). Vergilius Aeneam primo statim cursu usque ad Siciliae oram ervenisse narrat, idem iter Naevianus Aeneas fecit, de cuius ognata Prochyta insula, prope Italiam sita, nomen accepit 1, 16) in illa insula fortasse erant illi homines silvicolae ellique inertes (1, 17) nam ne de Italiae aut Libyae populis ogitemus vetant multi loci Vergiliani quibus illae gentes bellipotentes nominantur. Restat fragmentum primi libri decimum octavum, ubi poeta de signis loquitur quae alicui rei inerant expressa. Klussmannus [1]) quum primum cogitarit de Aeneae navibus, censet tamen, imagines navibus non inprimi sed adfigi. Attamen quum unam tantum navem Aeneas habuerit omnino de signis navibus Aeneae inpressis nullus sermo est. Magis vero placet Klussmanno alia explicatio qua statuit, poetam imagines describere quae viderit Aeneas Carthagine in templo Junonis, quae res nobis quoque probatur considerantibus eandem rem in Aeneide occurrere, in fine fere primi libri, ubi Aeneas res Troiae gestas in templo pietas adspicit; atque profecto Atlas, quem nominat fragmentum illud de quo loquimur, in Libyae finibus optimum locum invenit. Hoc si ita est, primus belli Punici liber simili fere modo finitur quo primus liber Aeneidis, narratur enim Aeneam Carthaginem venisse.

In secundo libro, ut supra exposuimus, res Carthagi- nienses exornantur. In Vergilii Aeneide ipsa Venus Punica fata filio evolvit narratque res a Didone gestas; simile quid fortasse in Naevii carmine erat, nam Naevius quoque dixit cuius filiae fuerint Anna et Dido (cf. Vahl. 1, 12). Deinde Aeneas quum ipsam Didonem videret eiusque mitem animum

[1]) p. 46.

sentiret, quieto est animo (2, 1) invitatur a Didone instrui turque epulae (1, 13). Aeneas jubet a navi sibi afferri veste quam Didoni daret (inc. 4 cf. Verg. Aen. 1, 650). Post Dido eum percontatur quo modo Troia venerit (1, 14). Aeneas et errores brevi enarrat et ultimae noctis labores ex ponit qua in narratione cuncti Dardanidae simul inter rumitant (inc. 6 cf. Aen. 1, 560); in hac nocte Venus nebulam qua plerumque oculi hominum offusi sunt, ab Aeneae oculis dempsit ut deorum numina videret quae Troiam everterent (2, 6 et 7 cf. Aen. 2, 612). Graeci totam urbem atque inprimis Priami domum delent (inc. 2). Deiphobi quoque domum Vergilius (Aen. 2, 311) dicit amplam ruinam dedisse Volcano superante, cum qua re conferri potest Naevii fragmentum inc. 10. Simili audacia fragmentum inc. 11 „quam liquidum amnem" inserimus in illum locum ubi Aeneas dicit sibi penates attigisse nefas esse donec se flumine vivo abluerit (cf. Aen. 2, 720). Praeter haec videntur Carthaginis initia atque opes et Didonis amor erga Aeneam in hoc libro descripta fuisse.

Libro tertio Aeneas iter pergens venit ad litus Italicum ubi augurium accipit. Recte enim fragmentum 1, 2 hoc loco posuisse Klussmannus videtur obsequutus codicum auctoritati, quam rationem Vahlenus, nulla causa addita, vituperat. Bene enim iam Klussmannus animadvertit simile augurium inveniri apud Vergilium [1], ubi apud Misenum promontorium omen accipit Anchises prope templum; in qua re utriusque poetae narratio eo tantum differt quod Vergilius equorum, Naevius avium omen oblatum esse narrat.

In eodem libro Naevius Romae explicat originem, Romulus oritur ex Ilia, Aeneae filia (2, 3), Amulius rex Albae Longae sororis filium repertum esse gaudet (2, 2) Romulus Aventinum (2, 4) et Palatinum (2, 5) condit. Multa quoque sacrificia sine dubio hoc libro instituebantur quorum uni tribuimus atrocia exta quae memorantur fragmento 3, 1.

---

[1]) cf. Aen. 3, 540.

Haec fere de tribus prioribus libris scimus, quibus connebantur origines illorum populorum quos ceteris libris de e ac vita depugnantes inter sese videmus.

Libro quarto enim bellum indicitur a fetialibus qui scoas atque verbenas portant (3, 2) Marcus Valerius consul artem exercitus in Siciliam transmittit (3, 3). Postea, Regulo consule, Melitam insulam transit exercitus eanque populatur (4, 1) ibi fortasse capiuntur greges, quorum carnem victores comedunt (4, 4). Reliqua huius libri fragmenta res a Regulo in Africa gestas significant; faustis auspiciis dux milites in proelium conmittit (4, 3) volvitur victoria nunc huc nunc illuc (4, 2) pars exercitus iam ab hostibus circumventa est, qua in necessitate cohortatur dux milites ne deserant commilitones (3, 5) omnes vero mori malunt quam cum infamia ad suos redire (3, 4).

Quinto libro certis numeris nulla fragmenta tribuuntur, quum vero liber quartus octo fere annorum spatium complexus sit, credibile est, librum quintum non multo minus temporis spatium continuisse, quae res etsi firmis rationibus demonstrari nequit, fulcitur tamen libri sexti fragmento 1 „septumum decumum annum ilico sedent" quod melius explicari non potest quam si intellegitur de Romanis qui tot annos in Sicilia tum sederant. Complectebatur igitur hic liber omnia illa damna rei navalis quae passi sunt Romani usque ad annum 505. Itaque ad hunc librum fortasse delegare licet fragmentum inc. 17 „apud emporium in campo hostium pro moene" quo videntur significari coss. Gn. Servilius Caepio et G. Sempronius Blaesus qui anno 501 aliquot urbes Africae ceperunt. Fragmentum vero 5, 1 recte Ribbeckius [1]) inter comica fragmenta reposuit.

Liber sextus ultimos fere belli annos continet. Fragmentum 1 in initio huius libri fuisse videtur quum quandam prohoemii speciem prae se ferat. Deinde foedus cum Hierone anno 506 ictum subauditur (6, 3) Fragmentum 2 ad Hamil-

---

1) cf. Ribbeck com. rel. Naev. inc. fab. 2 p. 21.

carem referimus qui Romanas legiones ubicunque facult oblata est, carpebat; ad idem fere tempus pertinet fra mentum inc. 9 „fames acer augescit hostibus“ videtur eni innui illa Gallorum manus quae quum ab Hamilcare i Eryce oppugnaretur, acerrima fame cruciabatur. Anno den que 512 Romani iterum classem exstruere ausi sunt, qua res, ni fallor, describitur fragmento inc. 3; cum hac obvian it Lutatus Poenis (6, 4) eosque inprudentes quum mult navibus onerariis ad Siciliam veherentur, vicit atque fugavi prope Aegusam insulam (inc. 5).

Septimo libro ultimus belli annus continetur variaeque conditiones quae de pace ferebantur exponuntur. Quae res si cui minor videtur quam qua totus liber compleatur, licebit illi statuere, Naevium capita rerum iterum ante oculos posuisse atque considerasse gravissimos belli labores et fructus pacis desideratae. Plerique viri docti in ipso fine totius operis ponunt illum locum quo Naevius sui ipsius mentionem fecit (7, 1) sed cavendum est ne nimiam Sachsii nostri similitudinem efficiamus, multo enim est verisimilius Naevium in initio libri exposuisse rationem qua ad scribendum inpulsus sit quam illa ratione totum opus in arena, ut ita dicam, defluxisse. Quam sententiam optime probat quod etiam Ennius in initio annalium narravit, Homerum in somnio sese esse adhortatum ut conponeret annales.

Descripsimus iam totius operis Naeviani conpositionem in qua plerisque fragmentis suum designavimus locum; cetera vero ita sunt instructa, ut ubique fere inseri possint, quare hanc rem arbitrio lectoris relinquimus quem certe non fugit etiam illorum fragmentorum, quae disposuimus, nonnulla aliis locis poni posse, sed longum est nimisque ab re nostra alienum anxio animo pensare quid magis minusve sit probabile.

Quodsi tribus prioribus libris dedimus Aeneae errores originesque urbium, doleo me a doctissimi viri Vahleni aliorumque ratione dissentire. Quum enim Klussmannus quoque tertio libro Anchisae mentionem inseruerit, Vahlenus

ad fgt. 1, 3) praefracto iudicio illam sententiam reiecit totamque rem, ut vidimus, ita instituit, ut primo libro Aeneae errores, altero Romae primordia narrentur. Quam rationem cur sequi non potuerim, apparuit, credo, ex locis grammaticorum supra allatis, quorum testimoniis etsi parva fides habenda est, tamen ita instituta est studiorum nostrorum ratio ut, nisi hac auctoritate contenti sumus, destituamur omni certa ratione ac via.[1])

Utrum sermo Naevianus multo praestiterit Liviano annon, numve longe relictus sit ab Ennio, nunc nemo diiudicabit quum sine dubio fragmenta ex illo tempore servata multis modis postea usu loquendi mutata sint; nec propterea quod grammatici saepius e Naevii quam e Livii libris antiqua vocabula afferunt, concludere licet, Naevium magis antiquitatem servasse quam Livium; quo diligentius enim scriptores legebant eo plura exempla ex iis hauserunt. Ne de versibus quidem certa stat sententia quum Vahleni pulcerrimi saturnii magis fortasse Vahleniani sint quam Naeviani. Attamen crediderim Naevii versus non cessisse Livianis, quum Naevius uteretur et patria lingua et post Livii curas scriberet. Grammaticos quoque Livii versus saturnios Naevianis posthabuisse patet ex Diomedis[2]) verbis qui Naevium invenisse saturnium versum in honorem dei dicit et ex Plotii loco, qui, omisso Livio, Naevium saturniorum auctorem nominat.[3]) Itaque si Atilius Fortunatianus[4]) vix unum alterumve bonum versum apud Naevium reperisse sibi visus est, hoc certe magis Atilii quam Naevii vitium fuit. Nec propterea quod Ennius saturnios versus nominat quos olim Fauni vatesque canebant[5]) aut quod Horatius saturnium horridum et grave virus adpellat[6]) statuimus illos qui hoc metro usi sint, inconditos versus pepigisse, namque illi

[1]) Hermannus quoque elem. p. 629 non audet in hac re librorum fidem spernere. — [2]) cf. Diomedes p. 512 K. — [3]) cf. Plotius p. 2650 P. — [4]) cf. p. 2679 P. — [5]) cf. Vahl. Enn. ann. 7, 1. — [6]) cf. Hor. epp. 2, 1, 156.

acerrimi critici omnino metrum saturnium prae hexamet spreviss e videntur. Acerbius vero nostrum erit iudicium ad ipsam artem poeticam animum advertimus qua Naevi res describendas ornavit. Quum enim in fragmentis nullu appareat lumen orationis, videtur annalium fere modo re una alteri annexa atque adserta fuisse ut non poetam se balbutientem historicum audire nobis videamur. Itaque no reprehenderim acerbum id quidem Teuffelii iudicium[1]) qu opus Naevii ieiunum adpellat meramque prosam versibu adstrictam, in qua color qui dicitur poeticus hic illic tantu adpareat in descriptionibus. Ingeniose quoque Th. Momm senus[2]) Naevii versus quos dicit semiprosaicos comparat cu carminibus quibus medio aevo annales quos chronica dicimu conscribebantur; cui sententiae ipse Cicero adsentitur qu quod in Bruto 19, 74 dicit: „tamen illius quem in vatibu et Faunis numerat Ennius bellum Punicum quasi Myroni opus delectat,“ latius exponit in Bruto 18, 70 ubi Grae corum signa inter sese comparans dicit „quis . . . non intellegit Canachi signa rigidiora esse quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem sed tamen molliora quam Ca nachi: nondum Myronis satis ad veritatem adducta, ia tamen quae non dubites pulcra dicere.“ Unde adparet, ip Ciceroni qui totam fere Latinam antiquitatem studiose lau dare solet, aliquem scrupulum iniecisse belli Punici poesi Recte quoque Diomedes[3]) iudicavit, qui, quum dicat, ep Latinum primum digne scripsisse Ennium, silentio indica Naevium non ita digne scripsisse. Sed deficiat licet ars or nandi, duae saltem res eaeque summi momenti laudanda sunt in Naevii carmine nempe quod Naevius primus patria res carmine composuit et quod ingeniose totam digessit ma teriam ut unum carmen efficeretur. Quidquid enim vir docti disseruerunt de poetica aut ubertate aut orbitat

---

1) cf. Pauli enc. real. s. v. Naevius. — 2) I b p. 898. Winkelmannus (Wilkius) in novv. ann. 1833 suppl. II p. 559 sermonem quoque duriorem quam Ennii fuisse dicit. — 3) p. 480 P.

ingenii veterum Romanorum, nullum certum extat testimonium ante Livium continua atque polita carmina Romae fuisse. Livius vero primus epicum carmen condidit vertenda Odyssea Homeri quod quum vidisset Naevius elatus reipublicae Romanae magnitudine iam tum felicem illam aleam iecit ut auderet vere Romanum condere carmen, quo in consilio nullis opibus adiutus solus propriam ingrediebatur viam. Atque sic idem poeta eodem carmine et Odysseam et Iliadem, ut ita dicam, Romanam, errores et bellum civibus suis dare conatus est. Qua in re si quis vituperaverit quod ab ovo coeperit poeta, certe excusationem habebit ipsa materiae natura, namque ipse Naevius quodammodo sensisse videtur, bellum Punicum non esse simile bello Troiano, quum et mythis et heroibus careret belli Punici aetas.

Itaque fausto animi impetu trahebatur ad illud tempus quod carmini epico proprium tribuebat colorem. Quin ipsa Romanarum literarum indole ad Aeneam delatus esse poeta videtur. Quum enim Livius ante paucos annos Ulixis errores narrasset, nihil erat propius quam ut ducis Romani errores narrarentur.

Caussa vero cur non Aeneidem solam scripserit sed parva quadam Aeneide absoluta transgressus sit ad bellum Punicum, est eadem quae in Vergilii Aeneidem Marcelli mentionem intrusit; latet enim hoc in ingenio Romano ut ubique fere ad res sua aetate gestas ducantur.

Sed quum sic aptissima ratione bellum et origo belli connecterentur, unum quoddam fuit Naevii opus, qua re Naevius certe Ennium superavit, licet ille praestiterit et versuum facilitate et elegantia sermonis.

Iure igitur et Naevius hoc carmine delectabatur[1]) et postea Cicero dixit carmen Naevii eiusmodi esse quo delectari possis; quamquam maiorem laudem poeta sibi comoediis meruit, namque et ab Hieronymo nominatur „Naevius Comicus“ et solet fere cum Plauto componi.

[1]) cf. Cic. Cato M. 14, 50.

Quum satis iam de compositione, argumento, indole belli Punici dixisse nobis videamur transgredimur ad postremum huius quaestionis locum, quo sedem constituemus quam Naevii carmen in literis Romanis tenuerit.

Atque a Livio quidem Andronico Naevium ad suum opus conponendum inpulsum esse et temporum ratione et toto poesis genere adparet. Attamen praeter hunc primum motum Naevius nihil fere Livio debere videtur, quum omnino aliam rem atque Livius tractarit. Ille enim Graecorum vestigia premebat, Naevius vero primus condidit epos vere Romanum[1]) quod quum Bergkius propter nimiam ruditatem postposuerit Livii Odysseae, hoc opprobrium egregie refutavit Hertzius[2]). Animadvertit enim vir doctissimus, illud fragmentum.

„Namque nullum peius macerat homonem“ quod Bergkius Naevio tribuerat ligneumque vocaverat, non esse Naevii sed Livii, ut omnino relabatur tota vituperatio si quidem quis propter eiusmodi minutias alterutrum poetam aut praeponere aut posthabere potest. Recte enim idem Hertzius admonuit, sese in paucis fragmentis Odysseae et belli Punici omnino non videre quid intersit inter utriusque carminis sermonem. Id quoque iam supra attigimus, Livii Odysseae Naevium fortasse debere quod Aeneae errores tot libris exposuerit, sed satis est animum ad hanc rem advertisse, quam intime perscrutari nemo sanus studebit.

Deinde quae ratio intercedat inter Naevium et Ennium Cicero luculenter exposuit[3]) hisce verbis: „Sit Ennius sane, ut est certe, perfectior: qui si illum ut simulat, contemneret, non, omnia bella persequens, primum illud Punicum, acerrimum bellum, reliquisset. Sed ipse dixit cur id faciat: „Scripsere, inquit, alii rem vorsibus etc.“ et luculente quidem scripserunt etiamsi minus quam tu polite. Nec vero tibi aliter videri debet, qui a Naevio vel sumpsisti multa si fateris, vel, si negas, surripuisti.“[4])

---

[1]) cf. Hertz. l. l. p. 217. — [2]) p. 235. — [3]) Cic. Brut. 19, 74. — [4]) Contra Niebuhrium qui in scholl. acc. de hist. Rom. 1, 24 censuerat Ennium omnino omisisse bellum Punicum primum, disputat Vahlenus Enn. p. 55.

Qua in re hoc certe Ciceroni credimus nonnullas res Ennium a Naevio esse mutuatum, quum uterque poeta nonnunquam eandem rem tractaret, sic enim et Naevius et Ennius Romulum Aeneae nepotem perhibent [1]) et uterque doctum fuisse Anchisen adserit [2]) et aliae fortasse res utrique erant communes. Sed quum Ennius primo libro annalium totam historiam urbis conditae, septimo, atque ne hoc quidem toto, ut videtur, [3]) bellum Punicum primum descripserit, ubicunque fieri potuerit, docemur, Ennium Naevio suum reliquisse campum. Utrum hoc fecerit propterea quod satis de his rebus Naevius scripserit an quod noluerit videri Naevium defraudasse, sub iudice lis sit. Rationem ipsam quae inter utrumque poetam intercedit, bene exposuit Vahlenus [4]) qui dicit 'Ennium si cum Naevio convenisset paucis absolvisse quae Naevius tractasset, magisque eum versari in deverticulis si Naevius res graviores occuparit. [5]) Quin si recte observavit Vahlenus [6]), Ennius Didonis, quam omittere illi licebat, nullam omnino mentionem fecit. Quas res si consideramus nimis acriter Cicero in Ennium hoc loco invectus esse videtur. Sed nos quoque aliquam habemus caussam cur Ennio succenseamus, namque hic ipse Ennius qui Naevium inter Faunos numerabat [7]) in primis effecisse videtur ut Naevii bellum paullatim oblivioni daretur; Ennium enim censebant posteri primum ex amoeno Helicone detulisse perenni fronde coronam [8]) et Ennius epos Latinum primus digne scripsisse iis videbatur. [9]) Itaque cum ipso

---

[1]) cf. Serv. ad V. Aen. 1, 273. — [2]) Hoc elicitur ex schol. Ver. in Aen. 2, 687. p. 90 K. — [3]) cf. Vahl. Enn. p. 59. cf. Winkelm. p. 561. — [4]) cf. Vahl. Enn. p. 57. — [5]) Eandem rationem ex. gr. inter Platonis Menexenum et Periclis orationem funebrem invenisse mihi videor, quum enim Socrates eandem fere rem tractat ac Pericles, quae ille exposuit, breviter attingit, in locos vero apertos orationem effundit. — [6]) Vahl. Enn. p. 25. — [7]) Num verba quoque nonnunquam irriserit Ennius, id quod viri docti censent, in medio relinquo. Quum enim inter Naevii fragmenta legamus „quod bruti satis sarare queunt" et apud Ennium „Nos ausi reserare" hoc in irrisionem Naevii dictum esse existimant. — [8]) Lucr. 1, 126. [9]) cf. Diomed. p. 480 P.

saturnio Naevii quoque memoria paullatim defluebat ut solum apud grammaticos vitam degeret.[1])

Hi enim saepe veterum poetarum voces obsoletas in glossaria colligebant. Primi, quantum scimus, e Naevii bello Punico glossas excerpserunt, ut videtur, Cornelius et Vergilius, quae res quamquam demonstrari nequit, tamen similis est veri quum Varro[2]) horum grammaticorum explicationes afferat ad Naevii locum ubi „Luca bos“ dubium ei movit. Hunc Cornelium quum antea viri docti commiscuerint cum L. Aelio Stilone, Müllerus in annotatione ad laudatum Varronis locum a Stilone seiunxit atque distinxit.

Vergilius quis fuerit ignotum est.[3]) Ipsas adnotationes horum virorum non nimii pretii fuisse colligitur ex eorum verbis quae Varro laudat. Utrum hi grammatici perpetuos commentarios in poetarum libros scripserint nescimus, sed optimo iure de hac re Ritschelius dubitat.

Nec multo plus scimus de G. Octavio Lampadione quem Suetonius narrat Naevii bellum Punicum divisisse in septem libros. Quum enim Suetonius nihil addat nisi grammaticos tum carmina retractasse eaque legendo commentandoque etiam ceteris nota fecisse, suo iure credit Suringarus[4]) magis anagnostas illos fuisse quam commentatores. Non solum autem libros distinxisse videtur Lampadio, sed etiam totum opus rescripsit propria manu atque correxit, si quidem Naevio eandem operam inpertiit quam Ennio navavit, Ennii enim annales quum emeret A. Gellius illum librum propterea magni aestimavit, quod ab ipso Octavio Lampadione emendatus videbatur.[5])

---

[1]) Quamquam posteriores certe intellegebant et Livii et Naevii carmina. Eiciendus est hic mirus ille error Klussmanni qui p. 101 et p. 206 concludit ex Varr. de l. l. 288 Sp. Livium post XV. annos a suis non iam esse intellectum, quum tamen ibi nihil legatur nisi Teucrum in fabula Liviana post tot annos a suis non esse agnitum. Cuius erroris non meminissem nisi Teuffelius l. l. bona fide eadem in re Klussmannum esset sequutus. — [2]) de l. l. 7, 39. — [3]) cf. Ritschl. par. p. 241. — [4]) hist. crit. schol. Lat. I p. 59. — [5]) Gell. N. A. 18, 5, 11.

Ciceronem delectatum esse luculenta narratione belli Punici supra iam diximus; Horatii vero tempore grammatici una cum Livii Odyssea Naevii carmen in scholis tractasse videntur[1]) qua de re non leniter irascebatur poeta politissimus. Inprimis vero exponendum est qua ratione Vergilius Naevii bello usus sit, qui tamquam „mellificantes apes“ undique collegit mel quo carmen suum dulce redderet. Cuius quum iam supra attulerimus illos locos quibus aperte ex Naevii carmine mutuatus esse videtur, nunc tantum hoc admonendum est, nonnullis locis Vergilium aliam famam, alienam a Naevii bello Punico esse sequntum, ne si quando Vergilium atque Naevium inter sese dimicantes viderimus, librorum errorem aliquem suspicemur.

Namque, ut iam supra adnotavimus, Vergilius in libro II Aeneidos[2]) Anchisae uxorem omittit quam dicit Naevius cum ceteris Troia fugisse.[3])

Deinde Vergilius narrat Anchisen fulmine esse adflatum oculorumque lumine privatum[4]), Naevius vero Anchisen aves vidisse narrat.[5])

Unam quoque navem quam Mercurius fecerit, Aeneam habuisse narrat Naevius[6]) quum viginti naves norit Vergilius. Postremo, ut quidem nos coniecimus, Anchises cum Aenea et Carthaginem et in Italiam venit, in qua re consentit Naevius cum Catone[7]) et cum Dionysio Halicarnassio,[8]) quum tamen Vergilius eum in Sicilia mortuum esse narret. Atque sic fortasse multis aliis rebus Vergilius aliter rem suam instituit ac Naevius; ut enim unum exemplum proferam, non credo Aeneam a Naevio ad Actium promontorium tractum esse ubi Vergilianus Aeneas tanquam in honorem Augusti tropaeum statuere a poeta cogitur.

Ceterum nisi iam Ennius bellum Punicum oblivione obruisset, Vergilius certe effecit ut eius memoria plane in-

[1]) Pro certo hoc affirmari nequit ex Hor. epp. 2, 1, 52 ut fecit Stievius p. 89. — [2]) vr. 760 sqq. — [3]) cf. Serv. ad Aen. 3, 10. — [4]) cf. Verg. Aen. 1, 621. — [5]) cf. Procl. in Verg. Ecl. 6, 31 p. 14 K. — [6]) cf. Serv. ad Aen. 1, 170. — [7]) cf. Serv. ad Aen. 1, 574. — [8]) 1, 64.

termoreretur. Tamen grammatici diligenter pergebant singulas voces Naevianas explicare inde a Varrone usque ad grammaticos christianos quorum multi ne viderant quidem bellum Punicum quamquam id certe etiam Macrobii aetate extitit. Ille enim:[1]) „Sunt, inquit, alii loci plurimorum versuum quos Maro in opus suum cum paucorum inmutatione verborum a veteribus transtulit. Et quia longum est numerosos versus ex utroque transscribere, libros veteres notabo ut qui volet illic legendo aequalitatem locorum conferendo miretur.“ Deinde comparat locum Aeneidis et belli Punici.[2])

Praeterea nihil certi de fatis belli scimus. Quod enim Cramerus[3]) adfirmat extitisse Naevii carmina etiam saeculo post Christum natum XIII. res nimis lubrica est, quam cui fidem habere liceat.

---

[1]) Sat. 6, 2, 30. — [2]) Winkelm p. 559 ex Gellii verbis „idque ipsum Naevium dicere“ concludit bellum Punicum tum non iam extitisse quamquam concedit fieri posse, ut Gellius id tum nondum legerit aut ante oculos non habuerit. — [3]) Cramerus bibl. dom. p. 223 narrat sese in bibliotheca sacra metropolitanae ecclesiae Pragensis ad S. Vitum vidisse Statii librum, cui in fine adscriptus fuerit index variorum librorum, saec. XIII compositus. In illo indice et Ennii et Naevii nomina invenit.

DE CYPRIA QUAE FERTUR ILIADE.

Praeter bellum Punicum a grammaticis obtruditur Naevio aliud carmen, Cypria Ilias, de quo inter viros doctos maxima sententiarum diversitas oborta est, quamquam plerique in ea re consentiunt ut contendant, non esse Naevium huius libelli auctorem. Itaque quamquam multi iique doctissimi viri de hac Iliade scripserunt, tamen retractare rem institui quum tota haec quaestio ut nodus ille Gordianus magis discindi quam solvi soleat. Primum igitur colligendi sunt loci qui ad hanc rem spectant:

I. Apud Priscianum[1]) in optimis codicibus sic legitur:
„Similiter Nevius in Iliadis secundo:
„penetrat penitus thalamoque potitur."
Ubi nobis qui tantum de auctoris carminisque nomine quaerimus, haec adnotanda est scripturae varietas: neuius; RBDHLK; neuuus: G. iliados: L; secundo: RBDH;
faecundo: Darmst[b]; II foecundo: Darmst[a] et sic „secundo (vel II vel 2): foecundo: editiones tantum non omnes.

II. Alter locus extat apud Charisium[2]):
„Torques, hic et haec torques nominativo, ut hic et haec canes a Lucilio libro I dictum legimus, itaque dixisse veteres Caper his exemplis docet:
Nevius Cypriae Iliadis libro I:
collum marmoreum torques gemmata coronat."

---

[1]) p. 881 P. p. 502 H. — [2]) p. 145 K.

Praeter hos duo alii versus hexametri, Naevio tribu in iudicium de Cypria Iliade vocari solent, nempe

III. Appuleius de Orthographia [1]):

„Naevius:

Panditur interea domus altitonantis Olympi“

et IV. Chalcidius in Timaeum Platonis [2])

„At vero sub luna usque ad nos omne genus motuu omne etiam mutationum, prorsus ut est in vetere ver Naevii:

Exuviae rabies furiarum examina mille.“ Afferunt ig tur duo diversi grammatici carmen Naevii nomine laudatun cuius fragmenta optimis hexametris sunt conscripta, faciun que cum iis duo alii qui nomine carminis omisso hexametro Naevii laudant, atque potuerit fortasse quis metra illa i saturnios versus commutare, sed summa vi tantum id fie posse omnes consentient. Namque si ex uno carmine du tantum fragmenta servata sunt eaque hexametris composit tum profecto vis est, si quis aliud metrum expiscari studueri Sed hoc ipsum quod hexametris composita est Cypria Ilia caussa fuit, cur Naevio hoc carmen abrogarent. Nostru igitur erit inquirere quae sint fundamenta illius sententia Iam enim Scaliger [3]) contendit, neminem ante Naevium e ne hunc ipsum quidem hexametros conscripsisse. Scaligerun autem sequuti sunt viri quorum nomina quasi astra in nostr arte fulgent, ut licere sibi Weichertus [4]) putaret, sola horun virorum auctoritate totum nodum praecidere. Attamen re non ita esse enucleatam ostendunt sententiae hisce viri oppositae ab H. Stephano, ab Heynio, Santenio, Werns dorfio; Wüllnero, Welckero. Ac re vera omnia mihi con sideranti Scaliger quum haec statueret magis ex imagin quam ipse sibi inpressit quam ex rebus oblatis iudicasse vi detur. Namque argumenta quibus demonstrare student ante Ennium nullos hexametros a Romanis esse compositos futilia sunt nec demonstrant quod viri docti efficere volunt

[1]) p. 123 ed. Mai. Romae 1823. — [2]) 5, 71. — [3]) ad Fest. s. v. Topper. — [4]) Poett. Latt. rell. p. 87.

que si locuples testis afferret Naevii hexametros, illae iones nos non retinerent quominus iam Naevium hexatro usum esse statueremus.

Quid enim? Hermannus ipse profitetur se ad suam ntentiam inprimis permotum esse Ennii verbis quibus ille rideat. saturnios ante se compositos. Ennius enim in nalibus[1]) dicit haec:

— — — „scripsere alii rem
Versibus quos olim Faunei vatesque canebant
Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat
Nec dicti studiosus erat — ante hunc —
— — — nos ausi reserare" — —

Sed si Ennius, teste Cicerone, Naevium intellegit, nonne ussam satis magnam habebat qua gloriaretur, quod ipse rimus rem, id est, res gestas rei publicae hexametris orasset quum Naevius simile quid saturniis ausus esset? Non nim necesse est, totam Naevii poesin epicam sibi opposuerit.

Idem fere de omnibus illis locis valet quibus Ennius rinceps poesis Romanae et alter Homerus nuncupatur, quin e inde quidem quod Ennius hexametros versus longos priius adpellavit[2]) concludi potest, ab illo primo hoc metrum sse translatum.

Restat igitur unum testimonium Isidori id quidem satis pertis verbis expressum[3]): „Hexametros autem Latinos rimum fecisse Ennius traditur." Quod Wüllnerus[4]) qui lem a Naevio hexametros esse scriptos putat, dum sustinere tudet, censet, fortasse Naevium senem Ennium iuvenem mitatum hexametros fecisse ut Sophocles dicatur tertiam ersonam in scenam induxisse quamquam Aeschylus quoque ioc numero personarum usus sit. Sed nescio quid Wüllierus sentiat de anno quo Naevius mortuus sit, nobis enim ui eum eodem anno mortuum esse censemus quo Ennius Romam venerit, non licet Wüllnerum sequi. Nihil igitur

---

1) cf. Vahlen. Enn. ann. 7, 1. — 2) cf. Isidor. Origg. 1, 73. — 3) cf. d. ibid. — 4) Gen. Eph. Schol. 1830 II. N. 150.

restat quam ut alteram sententiam nostram faciamus q proposuit Wüllnerus quum diceret, propterea Ennium primum Hexametros fecisse quod primus veram laudem metro meruerit, ut Germani quoque Klopstockium prim hexametris usum esse possent dicere quum Fischarti mem prope obruta sit.

Accedit quod omnia fere testimonia a grammaticis versibus prolata firma fide carent, quae si timidius seque mur, necessario statueremus Livium Odysseam non scr sisse saturniis versibus „saturnium enim in honorem Naevius invenit“ ut docet Diomedes.[1]) Sed omnino n magni aestimamus summaria haec grammaticorum testimo quum idem Isidorus paullo postquam de Ennio dixit, nam Moysen hexametris cecinisse. Itaque multo magis fide dig sunt illi ipsi loci qui ex poetarum libris nobis traditi sun ibi enim nos ipsi videmus nec credendum est Isidori ali rumve oculis.

Neque ulla alia caussa est cur Naevio hexametros abr gemus [2]), Graecam enim linguam eum scisse ex fabulis ei intellegitur, deinde Homeri studium paullo ante a Livi accensum erat Romae. Quin mirum esset nisi quis paul post Odysseam editam curasset ut Ilias quoque verteretu Nec deerat Naevio ingenium ut novum quid auderet, q enim novam rem vetere metro inclusit, idem novo met rem traditam includere potuit. Et tantum fuit nostri poet ingenium, ut pro certo statuere liceat, eum, si Iliadem ve tisset, hexametris, non saturniis aliove metro usum fuiss Sed Naevius non scripsit Iliadem. Namque ut omittam nunc mirum illud silentium quo Ilias Naeviana latet, versu

---

[1]) p. 512 K. — [2]) Klussm. p. 86 declamat contra eos qui Naeviu Iliadis auctorem esse statuunt. Namque si vertit Iliadem, prius certe ver tit quam scripsit bellum Punicum. Hoc vero fieri posse negat *Kl.* ut poet ab hexametro transgressus sit ad saturnium versum, a politiore igitur metro ad rudius. Sed haec res nihil demonstrat, fortasse enim Naevius saturnios quos faceret non censuit rudiores esse quam hexametros, aptiores vero ad describendas res a Romanis gestas.

qui ex Iliade laudantur, adeo sunt politi[1]) ut cogamur posteriori poetae tribuere, cuius nomen satis obscurum ıtuor locis in Naevii notissimum nomen corruptum est.

In varias igitur sententias de Cypriae Iliadis auctore i docti abierunt. Primum enim Schottius[2]) Laevio tribuit 'priam Iliadem quem sequuti sunt J. G. Vossius, G. ;rmannus, Osannus, Klussmannus, Hertzius. Contra nc sententiam Wüllnerus qui ipse non audet Naevio Iliam tribuere, censet, Laevium poetam levioris fuisse ingequam qui carmina heroica verteret.

Sed quum nulla certa ratione ad Laevium deducamur ius praeter Erotopaegnia nullum carmen notum est, de ıevio non cogitamus censemusque audacius Keilium in ıarisii testum coniecturam recepisse qua „Laevius" e Naevii mine efficitur. Quum vero apud Charisium legunt „Laeıs" apud Priscianum qui Naevium in Iliade laudat plerique nc legunt Ninnii nomen quod primum in mentem venit :riverio[3]); atque hanc sententiam suam quoque quondam isse Wüllnerus adfirmat quia saepe Ninnii nomen in libris rruptum inveniri ostenderit Krehlius.[4]) Et utinam vir ctus in sua sententia perstitisset, nam quum idem Prisınus[5]) laudet Ninnium Crassum in XXIV Iliados et ›nius s. v. fite Crassum lib. XVI Iliados nullum remanet bium quin nostro quoque loco legendum sit Ninnius in ade ut iure Hertzius in sua Prisciani editione legit.

Praeterea Wüllnerus cogitat de Ennio cum cuius colore spiritu fragmenta servata convenire dicit, quamquam ipse ım sententiam non tuetur quum putet illud opus si esset Ennio profectum, magis certe notum fuisse.

Alii denique cogitarunt de Gn. Matio quem scimus ›meri Iliadem non ita eleganter vertisse. Sed nihil profinus enumerandis variis sententiis; quum enim sciamus nnium Crassum hexametris Iliadem vertisse, quumque

---

[1]) cf. Vahlen. Enn. p. 57. — [2]) in Procli chrestom. p. 419 Gaisf. — ad Baudii Amores p. 416. — [4]) ad Prisc. p. 459. — [5]) p. 866 P.

facile ignotum Ninnii nomen corrumpi potuerit in no
Naevii omnes illos hexametros qui Naevii feruntur ad
bemus Ninnio si quidem in Iliadem quadrant, nec mi
Cypria Ilias quam Charisius laudat Ninnio Crasso
tribuenda quae utrum proprium fuerit opus necne i
quaeremus.

Testimonia igitur supra allata duos versus prae
nullo carminis nomine addito; Priscianus citat Naevii I
dem, Charisius eiusdem Cypriam Iliadem. Atque viri d
exceptis iis qui duobus poetis haec duo carmina adscrib
hanc rem ita diiudicarunt, ut plenius nomen genuinum e
censerent, Priscianum vero brevitate usum esse diceren
quae res per se similis est veri, nisi ipsum illud no
Cypriae Iliadis magnam praeberet difficultatem, quae s
apparet si quis comparaverit varias virorum doctorum s
tentias de hac re prolatas. Namque primum nos deter
debet quod nusquam in tota antiquitate Cypriam Iliad
commemoratam invenimus neque apud Graecos neque a
Latinos,[2] certe enim omnes expectarent, aliquam saltem
mam de Cypria illa Iliade ad nos pervenisse quum om
eiusmodi carmina a Graecis religione quadam culta s
Perfugiunt viri docti eo ut statuant poetam Latinum Gr
carminis nomen mutasse ut carmen aliquod Graecum
Cypria seu Iliadem vocatum nominarit Cypriam Iliad
quae res omni caret analogia. Atque Cypria quidem
nominata esse censent Welckerus et Hertzius[3]) quum si
ratione carmen quod Iliadem antecedebat „Cypria Ili
nominari potuerit qua illud quod Iliadem sequebatur μι
Ἰλιάς sit adpellatum. Quod contra Klussmannus[4]) coni
hoc carmen esse versionem Iliadis ex recensione Cypria, q
illa fragmenta nec re nec librorum numeris in nostram I
dis recensionem quadrarent, Cypria vero non potuiss
Cypria Ilias vocari. Sed nusquam quidquam de dua

[1]) cf. Hertz p. 224 sqq. — [2]) Welckerus p. 1347 censet Cypriam I
dem Naevii obscuratam esse bello Punico. — [3]) Welcker. p. 1347 cf. He
p. 224 sqq. cf. Langius p. 40 in vindic. trag. Rom. Lips. 1822. — [4]) p.

iadis recensionibus Romae lectis audimus nec omnino quiduam de Cypria aliqua recensione notum est et certe Ilias x recensione Cypria nunquam vocata esset Cypria Ilias [1].

Videamus igitur num molestam Cypriae mentionem reiovere possimus; atque facillime quidem hoc fieri potest implicissimo remedio, quo tamen omnes ad hunc diem nesio qua re deterriti abstinuerunt. Reiciamus enim vocem Cypriae seu in marginem seu inter lineas tamquam additanentum a grammatico sedulo adpositum, ut haec fere evadat pristina textus forma apud Charisium p. 145 K:

— — — „Naevius Iliadis libro I:
Cypriae
Collum marmoreum torques gemmata coronat.“

Cum quo loco mutatis mutandis, sunt enim omnes fere versiones Romanorum liberrimae, confer Il. 14, 223 ubi Juno nduit pectus Veneris torquem, admonuit igitur grammaticus llum torquem Cypriae fuisse. Alterum locum quem citat Priscianus delego ad Il. 3, 447 ubi Paris Helenam in thalamum ducit. Fragmentum ab Appuleio aut servatum aut excogitatum iam Ursinus et Osannus contulerunt cum Il. 8, 2 ubi Jupiter deorum concilium ad Olympum convocat. Fragmentum denique illud „Exuviae rabies furiarum examina mille“ quocunque loco belli labores aut pugnae pericula describuntur inseri potest. At haec fragmenta cum Iliade comparantibus nobis mutandus erat uterque numerus quo liber indicebatur. Quae res si cui mira videtur, qui meminit qua religione in describendo bello Punico numeros a grammaticis allatos retinuerimus, quum hic eorum nullam rationem habeamus, ne sic quidem descivisse nobis a via videmur. Bene enim quum dicebamus de bello Punico sciebamus quam parvi illi numeri aestimandi sint, sed ibi aut omnia confundebantur aut numerorum auctoritas retinenda erat, hic vero ipsa Ilias certius nos ducit quam numeri in libris servati quorum de altero ne constat quidem res.

[1]) Quod Klussm. de Cypria i. e. bona Iliade dicit hariolatur.

DE FABULIS.

Quotquot viri de Naevii fabulis scripserunt conquesti sunt de magnis difficultatibus inde obortis quod grammatici confuderint nomina Livii, Naevii, Novii, Laevii, ne dicam de monstris illis quibus etiam Plauti et Ennii nomina librariorum neglegentia pro poetae nostri nomine inrepserunt. Itaque, aliis viris doctis alia periclitantibus, Langius[1]) ut aliquam saltem discernendi poetas legem habeat videre secum iubet criticos an hanc saltem constituere legem liceat, ubi de hexametris versibus sermo sit, non Livii, ubi de tragicis neque Novii neque Laevii nomen poni licere, nisi ipsum iam scriptorem errasse putes.[2])

Sed nihil fere adiuvamur in nostra quaestione hac lege, qualiscumque est, quum hexametri in iis fabularum fragmentis, quae tractamus, non occurrant, altera autem illa res, utrum tragica habeamus an comica fragmenta, plerumque non minus aenigma sit quam ipsa quaestio quis auctor fuerit huius illiusve fabulae. Postremo de comoediis de quibus praecipue opus erat, Langius nullum criterium proposuit. Nos igitur si quaerimus auctoris nomen, tenemus quidem Langii rationem mutatis mutandis, sed magis sequimur obiectivam, ut ita dicam, auctoritatem, freti locupletium testium consensu.

---

[1]) vind. trag. Rom. p. 10. — [2]) **Mutanda haec lex sic est ut statuamus a Naevio quoque nullos hexametros esse scriptos, Laevium vero omnino nullas edidisse fabulas.**

Quum tamen saepe accidat ut eadem fabula a variis :ammaticis variis adscribatur poetis, non censemus hisce :odigiis inplendam esse literaturam Romanam; sed nisi quid iud obstat semper illi poetae fabulam tribuemus cui datur plurimis optimisque testibus. Ipsarum autem fabularum omina nunquam possumus, ut fecit Klussmannus, etiam on intellecta relinquere, sed semper corrupta nomina aut, id libri admittunt, ita mutabimus ut notum aliquod faulae nomen efficiatur, aut saltem ita corrigemus ut intelleatur quid sibi velit fabulae nomen, in qua re hoc semper enebimus ut et ratio caussaque appareat, cur nomen corrupım censeamus et medela non nimis violenta esse videatur. luum semel de corruptis nominibus loquar, utar hac occaione oblata ut iudicium meum promam de Nonii Marcelli uctoritate cuius librum, quum solus saepe fabularum nomina obis servaverit, dolendum est tot vitiis esse inquinatum. ırrare quidem humanum est et grammatici omnes fere in ac re erant humanissimi, sed si omnes grammaticorum libri itiis laborant, tamen Nonii Marcelli compendiosa doctrina rroribus scatet; quem si nuperrimi editores defendere voıerunt contra omnium fere convicia quibus res erat cum Ionio, magis id fecisse videntur ex studio unicuique homini ısito ut suum librum quam maxime commendet quam ex ısa veri ratione. Equidem, di me servent, nequaquam Nonio mnes illos errores obtrudere volo, qui nunc in illius libris :guntur [1]) sed scribae, quorum curae hi libri crediti erant, anta incuria scripserunt ut vix alterum librum invenias qui ot mendis refertus sit; dixerim fere studio quodam nomina onfusa esse atque corrupta. [2]) Itaque si Nonius fabulam liquam adfert, ab aliis grammaticis alii poetae adscriptam,

[1]) Quamquam ipse plurimos errores admisit. — [2]) Quod quamquam mnes intellegebant, tamen nonnunquam in constituendis fabularum poe-.rumque nominibus haesitabant. Ut enim dicam de viro acutissimi iudicii, ibbeckius unius loci Noniani auctoritate, Naevio tribuit Iphigeniam, Livio quum Troianum et Danaen, nec tamen duas Tabellarias statuit, quam iomedes Naevio, Nonius Novio tribuit.

nos quoque alii auctori eam fabulam dabimus, ni for pluribus locis idem refert Nonius ut ipse satis locuples (testis. Hoc igitur quum hic semel exposuerimus ne post iterum iterumque ad eandem rem recurrendum nobis ess quum singulas fabulas tractamus, nonnulla dicenda videnti de Welckeri[1]) sententia qui prope negavit, Naevium tragoedi scripsisse dicitque nullius loci se meminisse quo commemora tur Naevii tragoediae. Sed duo triave testimonia de Nae tragoediis loquuntur. Gellius[2]) enim Hesionam aperte trago diam Naevii adpellat in quam rem accivit Hertzius quod apu Varronem[3]) Hesiona, interrupto ordine, primo loco posita est qua re indicari censet Hertzius Hesionam fuisse tragoediam Sed nos ad ipsam Hesionam nostram de hac re feremus sen tentiam, ubi lectores totum Varronis locum invenient. Ne minus Hector proficiscens quam comoediam non ita effrena fuisse Welckerus[4]) censet, tragoedia fuit. Seneca[5]) enim Naevii verba ex Hectore proficiscente adferens: „Quam tragicus, inquit, ille apud nos ait magnificum esse laudar a laudato viro, laude digno ait.“ Acciri denique in nostra rem potest quod Equus Troianus quam solius Naevii ess censemus[6]) una cum Attii Clytaemnestra in dedicatione theatr Pompei acta est, unde, si non concluditur, conicitur tame cum aliqua probabilitate equum Troianum fuisse tragoediam Hae res satis demonstrant, Naevium scripsisse tragoedias, ni tragoediae gravitatem audimus ex fragmentis Danaes et Ly curgi, quae quum plurima extent, mirum esset si essent comi neque unquam comoediam saperent. Nec tamen Welcker quidquam fecit sine optima ratione, itaque in nostra quoq re caussa non est procul cur de Naevii tragoediis dubite Nam plerumque sequutus est Naevius Alexin, ut ostendu fabularum nomina quas uterque poeta scripsit; atqui Alex multas comoedias tragicis nominibus inscripsit, irrisit eni tragoedias Graecis iamdudum spectatas. Unde quis quu nonnunquam nulla fere fragmenta adsint, conicere potueri

[1]) p. 1372. — [2]) N. A. 10, 25. — [3]) Varro de l. l. 7, 107. — [4]) 1372. — [5]) Epist. 17, 2. — [6]) cf. quod dicemus s. n. Equus Troianus.

Naevium quoque comoedias tragicis nominibus inscriptas dedisse, sequutum in hac quoque re magnum magistrum. Verumenimvero etsi in illis Graecis dramatis fortasse scenae nonnunquam occurrerunt vere comicae tamen saepe sine dubio omnis ars comica versabatur in eo ut admonerent tragoediarum quae populo Atheniensi notae erant; eiusmodi vero scenas, quum populus Romanus tragoedias illas non vidisset quae in iocum vertebantur, Romae nemo intellexit. Hoc igitur concedendum erit bono nostri poetae ingenio ut nullas tragoediarum irrisiones dederit, quibus non ipsae tragoediae antecesserint. Itaque si qua fabula tragici nominis Naevio tribuitur certe non est Naevii comoedia.

Fabulas praetextatas nemo iam dubitat quin Naevius scripserit;[1]) itaque plura verba de iis facere nunc quidem supersedere possumus, neque opus est ut multis verbis exponamus quantam laudem Naevius meruerit patriis illis fabulis. Magnum enim quid fuit, iam tum deserere Graecos magistros ac proprio numine pergere.

Attamen sensit, ut videtur, ipse Naevius quam difficile illud opus sit, nec minus sensit fortasse, res mythicas Romanorum non ita scenae esse aptas quam Graecos mythos.[2]) Comoediam autem vere Romanam, id est fabulam togatam tabernariam, quantum scimus, nullam scripsit, primus enim in hoc poesis genere Titinius elaborasse videtur.

Eo diligentius vero in Graecas comoedias intexuit res Romanas[3]) ususque est omnibus artibus quibus id temporis poetae comoedias suo populo aptiores atque gratiores reddere solebant, quum praesertim ita comoedias contaminaret[4]) ut singulae scenae quam maximum risum moverent et personarum ridiculis moribus et sermonum lepida vivacitate.[5]) Gravissime autem errare videntur praeter alios Klussmannus[6]) et Winkelmannus[7]) quorum prior quum contendat Naevii

[1]) Welcker. p. 1345 Paulum Pacuvii primam togatam fuisse existimat. [2]) cf. Welcker. p. 1352. — [3]) cf. Mommsen. I b p. 873. — [4]) cf. Ter. Andr. prol. 18. — [5]) de vi contaminationis optime exposuit Ladewicus Anal. Scen. p. 10. — [6]) p. 109. — [7]) p. 511.

Lycurgum contaminatam esse ex Aeschyli Lycurgo et e Euripidis Pentheo, dicit „Quodsi Pahlius p. 39 contamina-tionem negat, fallitur; nam quamvis de comicis fabulis cum eo consentire possis, de tragoediis tamen negari illud omnino nequit. Naevianae enim comoediae utpote veterem Atticorum comoediam imitatae vix e duabus fabulis in unam compo[ni] poterant.“ In qua re optimo iure cum Welckero[1]) argu-menta nobis postulare videmur quibus evincatur tragoedias a poetis Romanis esse contaminatas.

Quod quum de comoediis Naevii illo Terentii testimonio satis constet, de tragoediis nusquam traditur. Etiam illa ratio quae a Klussmanno adhibetur ut contaminationem Lycurgi demonstret adeo est futilis ut merum commentum sit. Ut enim nunc omittamus mirum illum errorem quo contendunt Naevium praecipue esse imitatum veterem co-moediam Atticam,[2]) quaero quid assequi studuerint Romani contaminandis tragoediis, in quibus nihil magis erat quaeren-dum quam argumenti perspicuitas et dialogi simplicitas atque severitas?

Ex Graecarum fabularum nominibus, quae ad singulas Naevianas fabulas quantum id fieri potest adscribemus, appa-rebit Naevium in tragoediis inprimis sequutum esse Euripi-dem,[3]) in comoediis vero praecipue poetas mediae quae dici-tur comoediae, Alexin et Eubulum, fortasse etiam Antipha-nem et Dionysium Sinopensem,[4]) quamquam Terentii verbis comperimus[5]) Menandrum quoque Naevii nonnunquam fuisse exemplum[6]) et nos ipsi semel de Cratete cogitavimus. (cf. Ludus.)

[1]) p. 1376 et 1348. cf. Mommsen I b 892 qui censet tragoedias e Graecis fabulis magis esse ad verbum expressas quam comoedias. — [2]) Hunc errorem iam a Witzschelio commissum in Pauli enc. s. v. comoedia explosit Ladewicus Canon Volc. Sed. p. 19; ortus videtur ex Gellii verbis „Naevium de Graecorum more poetarum probra in principes coniecisse. — [3]) Caussam huius rei egregie exposuit Ladewicus A. Sc. p. 6 cf. Momms. I b p. 858. — [4]) Pahlius p. 11 nugatur. — [5]) cf. Ter. Eun. prol. 25 sqq. — [6]) Anaxandridam nonnunquam Naevii fuisse exemplum contendit Welckerus p. 1368.

Postremo huius prohoemii loco pauca addenda sunt de Naevianarum fabularum constructione atque sermone, de iudiciis super Naevio prolatis, de fabularum historia.

Atque primum quidem Klussmannus[1]) contendit Naevium totas trilogias vertisse, Aeschyli Lycurgum et Astydamantis Hectorem propterea quod in Nonii libris legatur „Naevius Lycurgo lib II" et apud Priscianum „Naevius in III Hectore proficiscente" qua re simul caussam sibi videtur reperisse cur tot fragmenta e Naevii Lycurgo laudentur, quippe quod haec tres fabulas continuerit. Attamen fragmentorum multitudinem nihil in hac re efficere inde iam videmus, quod ex Hectore multo minor fragmentorum numerus nobis relictus sit quam e Danae cuius compositionem trilogicam ne Klussmannus quidem suspicatur. Namque in his rebus maxime valet fortuna quum grammatici earum potissimum fabularum fragmenta servarint quas ipsi prae ceteris aut legerant aut adamaverant.[2]) Sic Danaen et Lycurgum Nonius, Corollariam et Tarentillam Charisius seu potius, quem sequitur, Julius Romanus, alii alias fabulas primo loco habuisse videntur. Sed inquiramus in ipsos locos quibus fabulae nomini numerus additus esse videtur. Loco enim Noniano[3]) legitur sic:

„Arva neutri sunt generis. Feminino Nevius Lycurgo lib. II: quaque incedunt omnis arvas opterunt."

ad quem Hertzius iam adnotavit, a Nonio vicies quater Naevii Lycurgum citari, nulla numeri nota addita, quare verisimile esse censet, hic quoque simpliciter citari Naevii Lycurgum utendumque esse Merceri lenissima medela qui „lib II mutat in „liberi" idque vocabulum cum fragmenti verbis coniungit.

Atque profecto aliis quoque rationibus evincitur hic „Lycurgo lib II" legi non posse. Aeschyli enim Lycurgeae altera fabula Bassarides fuerunt; ubi autem in tota illius temporis poesi inveniet Klussmannus aliam fabulam a poe-

---

[1]) p. 109. — [2]) cf. Hertz. p. 230. — [3]) cf. Non. p. 192. M.

tis Romanis alio nomine esse inscriptam quam eo quod Graecis poetis acceperit? Deinde ipsum non credidis existimo fabulas in libros fuisse divisas; quod enim adfe de divisione Lampadionis nihil est[1]) quum is tantum bellu Punicum recensuerit, nec, etiamsi fabulas divisisset, laud eas per libros posse credo. Postremo ne fragmenta quide Lycurgi ullo modo eiusmodi discissionem probare omn primo obtutu vident.

Alter locus quo utitur Klussmannus est apud Pri cianum[2]):

„Adorior et adorio, impertior et impertio.

Naevius in Hectore proficiscente:

„Tunc ipsos adoriant ne qui hinc Spartam refen nuntium."

[haectore: RBH; iniectore: G;

hiectore: LK; .II. haectore: D;

III. hectore (haectore: Darmst[b]) Darmst[ab]) Carolir alter]

Videmus igitur in melioribus codicibus illud III. no extare, deinde ut Hertzius[3]) recte admonet, valde dubium est non solum utrum Naevius Astydamantis Hectorem expresseri sed etiam utrum Hector Astydamantis trilogia fuerit. Nequ intellegitur quid sibi velit illud additamentum III quum ipsun adiectivum „proficiscens" satis indicet de qua parte trilogia sermo sit; haec enim lex est trilogiarum ut ipsius trilogia nomen simplex sit, singularum vero fabularum nomina aut alii omnino nominibus aut additis adiectivis discernantur. Itaqu iam „Hector proficiscens" satis indicat quam partem trilogia intellexerit Priscianus et supervacaneum, quin falsum, est e contra linguae usum si additur numerus illi fabulae nomini

Sed ne credi quidem potest trilogias iam illo tempor a Romanis poetis esse compositas[4]), si quidem poetae ra tionem populi spectantis habebant.

---

[1]) cf. Hertz. p. 230. — [2]) p. 801 P. 400 H. — [3]) p. 229. — [4]) N postea quidem ullus poeta Romanus trilogias scripsit.

Est enim hoc proprium trilogiae ut continuo quatuor ramata agantur, spatium igitur octo fere horarum eiusmodi ıdis conterebatur.[1]) Quis autem putaverit Romanos iam lo tempore tragoedias eo studio spectasse ut hoc temporis patium in theatro manerent; quin ne poterant quidem uum plerique, ut satis constat, starent illo tempore in heatro; standi autem difficultas dimidiam trilogiam interupisset.[2]) Contendo igitur nullas trilogias continuo tempore lla aetate esse actas. Diversis vero temporibus Graecae rilogiae partes agi non poterant. Itaque nullas trilogias Naevius scripsit, quum fabulas componeret quae agerentur ıon quae legerentur. Quamquam hoc non nego, ex iisdem nythis variis temporibus varias fabulas haurire eum potuisse quae sese tanquam exciperent; namque sic et pueritiam ıdolescentiamque Romuli et eius provectam aetatem variis fabulis a Naevio celebratas esse existimo, de qua re vide quae ad „Alimonium Remi et Romuli" disputabimus. Ceterum de constructione fabularum nihil videtur addendum esse quum fragmenta nimis dilacerata vix opinionem de his rebus admittant. Hoc tantum certo apparet, Naevii Acontizomenon prologo fuisse instructam in quo nominabatur ipsa fabula necnon, ut verisimile est, Graeci auctoris nomen, deinde fortasse argumentum fabulae exponebatur. Sed eiusmodi prologos non ab ipso poeta profectos esse censemus, quod idem de Plautinis prologis Ritschelius luculentissime demonstravit.

De canticis Naevianis loquitur Marius Victorinus:[3]) „Quod vero ad clausulas id est minuscula cola pertinet, quot genera versuum sunt, totidem eorum membra pro clausulis poni possunt, et solent in canticis magis quam in diverbiis, quae ex trimetris magis subsistunt, collocari et praecipue apud Plautum et Naevium et Afranium." Cantus qui

[1]) Momms. I b p. 865 in Nota exponit, Plauti aetate singulis diebus singulas fabulas esse actas duabus horis et dimidia. — [2]) Etiam Horatii aetate nimis longum videbatur si quatuor horas aulaeum premebatur cf. Hor. epp. 2, 1, 187. — [3]) de ratione metrorum p. 2523 P.

Naevianas fabulas persequebatur non minus ac Livii tempo simplicissimus fuit, teste Cicerone,[1]) qui:

„Illa quidem, inquit, quae solebant quondam comple severitate iucunda Livianis et Naevianis modis, nunc ut e dem exultant! cervices oculosque pariter cum modoru flexionibus torquent.“ Sermonem Naevianum optime cu Plautino componere nobis videmur, quum ambo saep coniuncti inveniantur apud scriptores antiquos nec nimi temporis spatio unus ab altero distet.[2]) Utrumque nomina Cicero[3]) quum simplicitatem veteris sermonis laudat hisce verbis: „Equidem quum audio socrum meam Laeliam, eam sic audio ut Plautum mihi aut Naevium videar audire. Sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis adferre videatur ex quo sic loquutum esse eius patrem iudico, sic maiores, non aspere ut *ille* quem dixi, non vaste, non rustice, non hiulce sed presse et aequabiliter et leniter.“[4]) Sed propter has laudes Cicero non oblitus est vitiorum quae illi sermoni adhaerebant, licet enim Laelia non hiulce loquuta sit, Naevium tamen numerat inter eos poetas qui, ut versum facerent, saepe hiabant.[5])

Sed si quis nunc Naevii sermonem describere vellet, opus nimium susciperet; quum enim pleraque fragmenta propter id ipsum nobis servata sint quod antiquum quid sonabant, nescimus utrum omnino eiusmodi archaismis repletae fuerint fabulae necne.[6]) Hoc tamen certum est, omnium illius temporis poetarum opera non adeo fuisse antiqua ut non intellegerentur Ciceronis aetate: nunquam enim, si hoc non ita esset, Cicero illorum poetarum verba in libris philosophicis attulisset, nulla addita nota, sese verba illa mutasse.

---

1) Cic. de legg. 2, 15, 39. — 2) cf. Ritschl. par. p. 111. — 3) De orat. 3, 12, 45. — 4) Adliterationes collegit nimio fortasse studio Naekius in M. Rh. 1829 p. 353 etc. Voces naturam imitatas Klussmannus collegit p. 212. — 5) Cic. Orat. 45, 152. — 6) Naevii sermonem nonnunquam fuisse liquidum atque facilem fragmenta Lycurgi Hectoris Tarentillae ostendunt, quae pulcerrime vertit Momms. I b p. 880.

Sed non intellegebantur solum fabulae. Naevianae illo empore, sed etiam agebantur si quidem vera sunt quae ostea disputabimus ad Equum Troianum et Personatam.[1]) Iec tamen quidquam compertum habemus utrum, antequam terum agerentur, recensitae sint ab aliis poetis.[2])

Posteriores quoque poetae nonnunquam Naevii fabulas espexisse videntur. Namque optimo iure admonuit Ladevicus[3]) in Plauti Bacchidibus[4]) respici Naevii Demetrium. Versus Plautinos adposui:

„Satin est si plura ex me audiet hodie mala.

Quam audivit unquam Clinia ex Demetrio?" quos verius, proh pudor, Weisius referebat ad Turpilii Demetrium.

Fortasse etiam versus ille Poenuli[5]):

„Superavit Dolum Troianum atque Ulyssem Pseudolus" alludit ad res equo Troiano populi oculis productas, quamquam plane dissentio a Klussmanno[6]) qui censet ipsam Equum Troianum Dolum esse adpellatam.[7]) Alludit praeterea, ni fallor, ad Naevii Hectorem proficiscentem „tiro proficiscens" Attae. Etiam scriptores rerum gestarum Naevii fabulis usi sunt, si verum est quod refert Gellius,[8]) Valerium Antiatem propter Naevianos versus detrectasse Scipionis castitatem. Quin proverbia ex Naevii fabulis in hominum ora profluxerunt.[9])

Deinde grammatici ut omnia illius aetatis opera praeci-

---

1) Non sequitur ex Hor. epp. 2, 1, 53 Naevii fabulas Augusti aetate in scholis lectitatas esse quod Stievius p. 89 proposuit. — 2) Quum nonnullae fabulae et Naevio et Plauto aliive poetae a grammaticis tribuantur, viri docti statuunt pristinas fabulas postea esse recensitas sed plerumque ibi aut corruptum est aliquid aut uterque poeta proprio ingenio Graecum expressit exemplum, namque propter solam recensionem fabula Naeviana non abiit inter Plautinas. Ritschelius p. 112 censet Plautum rarissime Naevii fabulas recensuisse; idem p. 130 recensitas certe Plautinas non esse nominatas dicit. 3) An. Scen. p. 13. — 4) 4, 7, 71. — 5) 4, 8, 7. — 6) p. 100. — 7) Ladewicus An. Sc. p. 11. contendit omnes mythos Graecos praeter Herculis mythum qui communis utrique populo fuerit, mutuatos esse Romanos ex Livii Naevii Ennii tragoediis, contra Bernhardium L. R. p. 17. — 8) N. A. 7, 85. — 9) cf. Klussm. p. 220.

puo quodam amore amplexi sunt, sic etiam Naevii fabul tractarunt; sed nescimus quemquam illas perpetuo comme tario instruxisse quum glossas solum explicasse videant quas cum aliorum scriptorum glossis in unum librum coll gerunt. Atque sic iam ante Varronem grammaticos Naevian fabulis usos esse, colligitur ex Varronis verbis:[1]) „Naevii in Demetrio: „persibus" a „perite"; itaque sub hoc glossem „callide" subscribunt."

Quum Charisius[2]) dicat: „Efflictim . . Naevius i Corollaria . . . ubi Probus usque donicum effligatur" nonnull inde concludere voluerunt, Valerium Probum Naevii Co rollariam proprio commentario explicasse, sed recte Suringa rus[3]) animadvertit, verisimile esse, Probum in maioribu libris grammaticis attigisse solum hunc locum, idemque va lere ait de Prisciani loco[4]) ubi idem Probus glossema Naevii verbis subscripsisse dicitur.

Iisdem grammaticis et prologum Acontizomeni et cum prologis Graeca fabularum nomina quae rem aliquam ex primunt debere nos credo; quum enim inquirerent quas fabulas Graecas poetae Latini expressissent, Graecis no minibus Latina illa atque genuina extruserunt.[5]) Iam in fine huius prohoemii ipsorum veterum iudicia de arte dramatica Naevii adferenda sunt. De tragoediis nullum extat testimonium quod de Naevio solo aperte quid diceret; sed quid de iis senserint veteres ex iudiciis communibus colligi tur; quae quum tempore elegantissimo prolata sint non possunt recte intellegi nisi hoc semper in animo retinemus, esse illa tempore data quo adeo iam novis rebus assuetae fuerint aures ut mirum fere sit illo tempore tam leniter de poetis veteribus esse iudicatum. Velleius enim Paterculus dicit: „Nisi aspera et rudia repetas et inventi laudanda nomine in Attio circaque eum tragoedia est," quod iudicium etsi acerbissimum est, inventi tamen laudem veteribus con-

---

[1]) de l. l. 7, 107. — [2]) p. 198 K. — [3]) hist. crit. schol. Lat. I p. 59. — [4]) p. 906 P. — [5]) cf. Ritschl. p. 157 et p. 146. — [6]) 1, 17.

dit, qua re quum vix intellegere potuerit novas vocaburum formationes, haec laus potissimum ad praetextas fabulas referenda est. Nec multo aliter de vetere tragoedia sensuisse videtur Quintilianus[1]) qui ipsum Attium quodammodo vituperat; namque de Pacuvio atque Attio dicit: Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse."

Itaque si Horatii aetate summo studio spectabantur veteres tragoediae id ipsum magis antiquitatis quam artis caussa factum esse videtur.[2]) Sed sit dubium de hac re iudicium, certum est, Naevium tragoediis non magnam laudem apud Romanos meruisse. Quin ne comoedias quidem Naevianas unquam expressis verbis laudatas invenimus[3]) quamquam illis praecipue clarum factum est Naevii nomen.

Namque inter comicos a Volcatio Sedigito, viro antiquitatis studiosissimo, proximo loco post Caecilium et Plautum ponitur, quam rem, quo utitur ingenii acumine, Ladewicus[4]) ita explicat ut Volcatium composuisse statuat illos tres poetas comicos qui maxime propria, ut ita dicam, Minerva scripserint, quique servato Graecae fabulae argumento, in explicanda fabula summa libertate scenas et dempserint et addiderint. Haec omnia si complectimur, in omnibus fere poesis generibus Naevius elaborasse, in omnibus a posterioribus victus atque superatus esse videtur, namque in carmine epico vicit eum Ennius, in tragoediis Ennius ceterique fere omnes in praetextis Pacuvius et Attius, in ipsis comoediis Plautus. Tamen semper satis laudis poetae manebit qui primus Romanum carmen, primus Romanam fabulam scripsit[5]) quique, quae est summa poetae laus, ubique fer-

---

[1]) Institt. Oratt. 10, 1, 97. — [2]) Welckerus p. 1411 concludit ex Hor. epp. 2, 1 Augusti tempore populum Romanum veteres tragoedias tam libenter spectasse quod recordaretur amissae libertatis. Simili modo Schilleri festum saeculare ideam quandam politicam continere nuper nonnullis videbatur. — [3]) cf. Ladewic. Can. Volc. Sed. — [4]) cf. Ladew. Can. Volc. Sed. p. 11. — [5]) Quamquam Donatus dicit tragoediam et comoediam togatam primo invenisse Livium Andronicum.

vebat.[1]) Itaque plane quadrat in Naevium Horatianu illud:[2])

Nil intentatum nostri liquere poetae
Nec minimum meruere decus vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta
Vel qui praetextas vel qui docuere togatas.

Quum igitur nunc ad singulas fabulas recensendas tra seamus, monendum est, nos ipsa fragmentorum verba no curare, quum haec omnium virorum doctorum arbitrio o .time iam constituta sint ab Ottone Ribbeckio in tragicoru Latinorum reliquiis Lips. 1852 et in comicorum Latinoru reliquiis Lips. 1855 editis. Quare nihil fere nobis faciendu erit quam ut quaeramus quae sint vera fabularum nomin utrum sint Naevii an aliorum poetarum, utrum sint deniqu tragoediae an comoediae an praetextae. Quam rem ita in stituemus ut omnes fabulas quae inter Naevianas recensita sunt a viris doctis, tractemus ordine alphabetico; quaru quas vere Naevianas esse censuerimus colligemus in fin huius libelli.

I. ACONTIZOMENOS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 5.

Charisius tria huius fabulae fragmenta affert quorun id quod Ribbeckius primo loco ponit a codice Plauto tribu tur, quae res timidum adducere fortasse potuerit, ut Plauto hanc fabulam recensitam esse censeat, sed ipsa illiu fragmenti indoles satis ostendit cur Plauti nomen in Charisi verba inrepserit, est enim fragmentum illud apud Chari sium[3]) hoc:

Acontizomenus fabula est prime proba.

qui versus scribae in memoriam revocavit sermonem Plauti norum prologorum, deceptus igitur hoc sono aliud nomen

[1]) cf. Volc. Sedig. apud Gell. N. A. 15, 24. — [2]) Hor. epp. 2, 3, 285 Digne Naevium laudat. Mommserus I^b p. 881. — [3]) p. 211 K.

ripsit. Alterum quoque fragmentum prologum sapit, terum fortasse ex ipsa fabula petitum est. Noctu interfecisse lso i. e. insidiis filius dicitur fratrem geminum, qui postea rtasse vivus a patre repertus est. Ceterum ne cum codice ipra laudato fabulam „Acontizomenus" inscribamus, sed Acontizomenos, monet ipsa eiusmodi titulorum ratio, quam xposuit Ritschelius [1]). Fragmentum tertium in codice hoc gitur contextu [2]):

„Noctu diuque: Sallustius historiarum secundo: noctu liuque stationes et vigilias temptare . . at vero Titinius . . octu diusque . . Naevius in Acotizomenos:

Sulpicii noctu interfecit." Quum igitur in hoc fragnento Sulpicii mentionem a Naevio factam esse videret Ieukirchius [3]) censuit hanc fabulam esse testem, Naevium n Graecas comoedias res Romanas inmiscuisse, eandemque ententiam tuetur Klussmannus [4]) qui cogitat de P. Sulpicio Galba Maximo cons. anni 543 aut de Servio Sulpicio Galba ui aedilis curulis fuit anno 546. Nos vero primum quidem ro certo scimus, Diomedem hunc genetivum aut omisisse ut nomen addidisse, unde pendeat, aut „Sulpicius" scrisisse, licet enim multa miro modo citent grammatici, tamen iusmodi citatum ferri non potest. Nec video quomodo Naevius huius viri in comoedia mentionem fecerit, quamquam oc fieri non posse nemo quidem demonstrabit. Hermannus [5]) Sulpicii nomen transductum censet a fragmento Sallustiano, it Naevii fragmentum sit „noctu interfecit". Quae medela tsi satis lenis est, tamen maiore facilitate commendatur Ribbeckii coniectura qui legit „supplicio noctu interfecit". Alia medela eaque magis ad codicis literas accedens esset, i legeremus. „Sub picea noctu." Sulpicii vero nomen certe quidem ex Naevii verbis eiciendum esse censeo cum viris upra laudatis Hermanno et Ribbeckio.

---

1) Mus. Rhen. VIIII, 17. — 2) Char. p. 207 K. — 3) Neukirchius de ab. tog. Rom. p. 67. — 4) p. 133. — 5) Opusc. V, 262.

Ceterum confer huc quae de „proiecto“ fabula in[illegible] disputabimus.

Ἀκοντιζόμενος est fabula Dionysii Sinopensis, qu[illegible] Naevius expressisse videtur, namque si Ἀκοντιζομένην An[illegible] phanis ante oculos habuisset, certe genus nominis poeta n[illegible] mutasset.

II. AEGISTHUS.

cf. Ribbeck. trag. rel. p. 1.

Hanc fabulam, quamquam a nullo codice Naevio tribu[illegible] tur, tamen nostro poetae vindicare studuit Jos. Scaliger[1] quem sequitur Stievius[2]) quatuor Aegisthi fabularum auctore[illegible] statuens, Livium, Naevium, M. Varronem, Augustum. Se[illegible] quum iam J. G. Vossius hanc tragoediam Naevio abiudicar[illegible] eandemque sententiam Döllenius[3]) tuitus sit in proprio li[illegible] bello quem de hac fabula composuit, nos quoque codice[illegible] sequuti hanc fabulam Naevio abiudicamus.[4])

III. AGITATORIA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 5.

Septem Agitatoriae fragmenta Charisius memoriae tr[illegible] didit unde colligere possumus, eum seu quem sequitur, han[illegible] fabulam praecipue adamasse. De nomine fabulae atque au[illegible] toris nullum dubium subesse nobis potest in magno illo co[illegible] gruentium testimoniorum numero. Argumentum vero e[illegible] septem hisce frustulis restituere res maxime lubrica est, vide[illegible] mur tamen nobis hoc videre, aliquem rogare ut equi si[illegible] unum diem permittantur quum certamen inire velit, quo[illegible] quum rogatus, multis precibus permotus, concedat, minatur sese illos equos venditurum esse nisi vicissent; videntur igi tur proprii fuisse illius iuvenis qui eos postulat, sed conces[illegible]

---

[1]) ad Varr. de l. l. p. 55 ed. Bip. — [2]) p. 88. — [3]) de fabula Liv[illegible] Andronici quae inscribitur Aegisthus Rigae 1838. — [4]) cf. Hertz p. 226.

lii homini fortasse propter aes alienum. Deinde iuvenis, impetratis quae postulaverat, servo promittit aut pecuniam aut libertatem si effecerit ut equi vincerent, ille autem eligit libertatem (III); affertur iuveni nuntius victoriae (IV) qui quum falsus postea inveniatur, servus ille cui libertatem promiserat vincitur (V) maximisque cruciatibus afficitur quamquam multis verbis defendere sese studet (VI).

Nomen fabulae Ritschelius[1]) comparat cum Piscatoria quae a Fulgentio laudatur censetque vir doctissimus „fabulam" non „mulierem" esse supplendam ad „agitatoriam". Ac profecto, si a muliere quadam quae ageret equos, nominata esset fabula, sine dubio „agitatrix" adpellata esset, non „agitatoria", alia vero res est de „corollaria" et aliis fabularum nominibus, de quibus suo loco plura dicemus.

Expressa videtur Naevii Agitatoria ex Alexidis Ἀγωνίδι ἢ Ἱππίσκῳ.

IV. AGRYPNUNTES.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 6.

Duo huius fabulae fragmenta leguntur apud Nonium qui[2]) citat „Naevius in Agrypnuntibus," alio vero loco[3]): „Naevius amnagremnuntius," corrupto, ni fallor, nomine ex „Naevius ait in agrypnuntibus," vocabula enim „ait in" vix dici potest quot vitiis codices inquinarint.

Scaliger et Mercerus Novio hanc fabulam adscripserunt nulla e caussa, quum duobus locis Noniani libri in Naevii nomine conspirent. Fragmentum alterum ostendit hos agrypnuntes esse „nocturnos praedones" qui in ipsa scena ubi praedati sunt, ni mavis legere in „cena", ubi praedam consumunt, inveniuntur. Quamquam sine dubio haec fabula ex Graeca expressa est, tamen nullum simile Graecum nomen extat.

---

1) Par. p. 142. — 2) p. 65 M. — 3) p. 150 M.

V. ALCESTIS.

cf. Weichert. poet. lat. rel. p. 54 sqq.

Nonius[1]) dicit: „Naevius in carmine: Corporeque pec reque undique obeso ac mente exsensa, tardigenulo seni

Eadem verba leguntur apud Gellium[2]) e Laevii carmi Alcestide. Si igitur Nonianis libris prae Gellianis fides esse Naevium haberemus auctorem Alcestidis carminis. Atq optimi Gellii libri Laevii nomen exhibent et ipsae carmi reliquiae, quas illo loco Gellius laudat, aperte ostendu non Naevii illud carmen fuisse; quam rem quum Weichert omnibus numeris demonstraverit, supersedere possumus lon disputatione, praesertim quum omnes viri docti una voce hac re consentiant.

VI. ALIMONIUM
Remi et Romuli.

cf. Ribbeck. trag. rel. p. 235.

Apud Terentium in Adelphis Ctesipho et Syrus de patre Ctesiphontis colloquuntur quum subito Syrus perterritus: „Lupus, inquit, in fabula;" apparet enim ipse pater de quo sermo erat. Quem locum ut explicet Donatus haec addit: Silentii indictio est in hoc proverbio atque eiusmodi silentii vel in ipso verbo ut ipsa fabula conticescat: quia lupum vidisse homines dicimus qui repente obmutuerint. Alii putant ex nutricum fabulis natum pueros ludificantium terrore lupi paullatim Capua venientis usque ad limen cubiculi. Nam falsum est quod dicitur, intervenisse lupum Naevianae fabulae alimonio Remi et Romuli dum in theatro ageretur." Utrum igitur proverbium silentium indicat an aliud quid, Donati res sit, haec tria certe discimus ex illius verbis: proverbium fuisse „lupus in fabula", deinde Naevii fabulam

---

1) p. 361 M. — 2) N. A. 19, 7.

isse Alimonium Remi et Romuli, postremo homines dixisse illa fabula dum ageretur lupum apparuisse. Quum vero ferat Festus[1]) Naevium „lupum“ fabulam scripsisse, nihil est risimilius quam in Lupo fabula apparuisse lupum atque de ortum esse „lupus in fabula“ proverbium. Atqui, teste onato, in Alimonio venisse lupum homines narrarunt. Ergo t verisimillimum eandem fabulam Alimonium et Lupum uisse appellatam. Quam rem mihi videor firmare quantum l fieri potest in re tam obscura fragmento ipso Lupi. amque Alimonium certe non solum scenas quasdam com- lectebatur ex infantia Remi et Romuli petitas sed totum imonii spatium donec pueri Albam benigne recipiebantur. l ipsum vero ex Festi[2]) verbis intellego qui haec exhibet: Redhostire referre gratiam. Navius in Lupo: vel veiens egem saltant iubae Albanum mulium comitem senem sapi- ntem, contra redhostis Menalus.“

In sanandis corruptissimis his verbis multi viri docti laborarunt quorum coniecturas omnes afferre nihil ad rem alet, subaudimus vero Romulum Albam venire. Welcke- ıs[3]) censet Alimonium eandem fabulam esse atque Romu- ım quae bis citatur a Varrone; eadem est sententia ibbeckii qui inter praetextas[4]) recipit Naevii „Romulum ve Alimonium Romuli et Remi“, quin Ribbeckius[5]) dicit Lupus si Naeviana fabula est vix poterit differe a Romulo uam inter praetextas rettuli.“ Sed equidem nolim Romu- ım confundere eum Alimonio Remi et Romuli, namque si revi nomine Alimonium Remi et Romuli appellare voluisset 'arro certe aut „alimonium“ dixisset aut „Remus et Romu- ıs“, ni forte credis Varronem laudare nomen huic fabulae ostea inditum aut ingenuum fabulae nomen fuisse „alimo- ium Remi et Romuli sive Romulus“ quae nomina sic com- oni non posse omnes vident.

---

[1]) p. 270 M. — [2]) p. 270 M. — [3]) p. 1370 cf. Haupt. in Phil. I. p. 374. — [4]) trag. rel. p. 235. — [5]) Com. rel. p. 14.

Accedit quod Varro[1]) e Naevii Romulo „sponsus" cita quam vocem Klussmannus ad raptas virgines Sabinas refert neque aliud quid propius est in quod incidamus. Quum igitur Hauptius[2]) censeat in Alimonio de Sabinis sermonem esse non potuisse, hoc ipsum in meam rem sic verto ut Romulum quam Varro bis eodem nomine citat seiungam atque discernam ab Alimonio Remi et Romuli sive Lupo.[3])

Itaque, quamquam trilogias non scripsit, tamen bis Urbis conditorem Naevius in scenam produxit et puerum et iuvenem seu virum, ita ut in priore fabula puerorum vita, in altera Urbis origo in discrimine esset. Utramque fabulam non dubitamus quin praetextis adnumeremus, quum, ut optimo iure Hauptius statuit, nemo Romanus neque egisset nec quieto animo spectasset Urbis conditorem in scena comica, licet hic illic res iocosae succurrerint; neque aliud quidquam ex ipsis fragmentis percipitur.[4])

VII. ANDROMACHA.

cf. Ribbeck. trag. rel. p. 5.

Servius[5]) refert: „Naevius in Andromacha:

Quod tu mi gnate quaeso ut in pectus tuum
Demittas tamquam in fiscinam vindemitor." Welckerus[6]) et

---

[1]) de l. l. 7, 107. — [2]) Philol. I. p. 374. — [3]) Mommsenus p. 89 nobiscum facere videtur. — [4]) Si quis varias virorum doctorum de hac re sententias audire voluerit, sunt hae fere: Welckerus p. 1346 censet Romulum non esse praetextam, p. 1370 idem censet de Alimonio quam componit cum Romulo. Hertzius p. 231 Romulum praetextam, Alimonium comoediam esse existimat. Signorellius, storia critica dei teatri II. p. 21, Regelius p. 40, Neukirchius p. 62, Winkelmannus (Wilkius) p. 512 Romulum inter praetextas recensent. Langius p. 14 comoediam aut satiram Romulum fuisse putat. Klussmannus p. 160 Lupum eandem fabulam atque Romulum esse existimat quam sententiam Teuffelius reicit, nulla caussa addita. Grauertus in Philol. II. p. 119 discernit Lupum a Romulo quam cum Alimonio componit, p. 129 Lupum togatam praetextam esse dicit. Welckerus p. 1345 et Hertzius p. 231 in medio relinquunt utrum Lupus sit praetexta. [5]) ad Verg. Georg. 1, 266. — [6]) p. 1370.

lerique alii viri docti in ea re consentiunt, Naevium scripsisse Andromacham, quum vero comoediam sapere videretur fragmentum, Bothius et Munkius qui Graecas tragoedias a Naevio in comoedias versas esse non credebant, Novio adscripsere Andromacham. Sed etsi fragmentum, fateor, non ita elegans nobis videtur tamen nihil vetat quin sit tragicum, quum poeta quod dicere voluit, „ut bonum fructum“ ex more poetarum parte frugum expresserit. Itaque quamquam iterum fateor hoc non esse pulcrum, tamen tragicum esse potest nec necesse est statuamus novam Novii fabulam.

Klussmannus quum a Naevio tres Hectores scriptas esse censeat hac re se perduci passus est ut Andromacham eandem fabulam esse dicat atque Hectorem proficiscentem. Sed de hac re iam antea disputavimus; refragantur quoque illi Hertzius [1]) et Teuffelius quamquam uterque admittit ut comoedia fuerit.

Düntzero [2]) qui defendere studuit fragmentum nostrum congruere cum Euripidis Andromachae versu 414 Dind. Welckerus iam respondit quum diceret sermonem utriusque fragmenti omnino diversum esse.

Omnes fere igitur Servio tantam fidem habent, ut, eius unico testimonio freti, Naevio Andromacham adscribant, de qua nunquam alias sermo est, quum tamen Enniana Andromacha summopere semper laudetur. Equidem non dubito quin hic in Servii librum error inrepserit suadeoque ut Ennio, cuius tot fragmenta Andromachae extant, hoc quoque tribuamus. Namque Astyanactem, ad quem mater in nostro fragmento loqui videtur, etiam in Ennii fabula in scenam productum esse ex Ciceronis [3]) loco apparet ubi Antiphon eius personam egisse dicitur, ibique Cicero animadvertit, in Andromacha maior aliquanto fuit quam Astyanax.“ Si enim Antiphon Astyanactis partes agebat, inde concludere possumus, Astyanactem illum Ennianum non fuisse infantem qui nihil nec diceret nec intellegeret; tum enim certe puern-

[1]) p. 227. — [2]) Eph. L. L. A. A. 1838 p. 47. — [3]) ad Attic. 4, 15.

lum in scenam produxisset gregis dominus non Antiphonte qui vel persona sua maior erat. Ad hunc igitur Astyanatem loquitur Andromacha verba illa a Servio tradita. Huic sententiae non obstat quod Ladewicus[2]) contendit, E nii Andromacham Aechmalotidem esse appellatam ut a Na viana discerneretur, tum enim quaerere licet a cuius poeta Hectore distinxerit Naevius proficiscentem Hectorem atque ipsum illud adiectivum graecum satis significat, ortum i esse ab hominibus qui de Naevii Andromacha non cogita runt[3]).

VIII. APPELLA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 7.

Appellae, sic enim scribunt libri, non Apellae, duo frag menta extant apud Priscianum[4]) quorum prius omisso fa bulae nomine citatur etiam in thes. nov. Lat. in A. Mai auct. class. VIII, 133; in scenam aliquis producitur cui oculi profluunt cepis.

Ignoratur quid nomine huius fabulae significetur, quod enim explicat Labb. gloss. et schol. vet. in Hor. Satir. 1, 3, 100, Appellam esse λειπόδερμον, credat Iudaeus Appella. Nam unusquisque videt hoc inventum esse ut circumcisi illius Iudaei nomen explicetur; haec enim vox nec Graeca est nec Latina. Equidem censeo, Appellam nihil aliud esse quam formam deminutivam ab Appulus derivatam, simili fere modo quo tabella a tabula, ocellus ab oculus formatur. Atque Naevium eiusmodi deminutiva saepius usurpasse ostendit Tarentilla. Appuli stolidi stupidique apud Romanos audie bant, ut vitium esset si quis erat natus in Appulis[5]).

---

1) Ribbeckius trag. rel. p. 247 reprehendit Klussmannum quod ille Astydamantis Hectorem a Naevio expressam esse censeat, quum Astyda mantis Astyanax infans fuerit nec intellexerit praecepta qualia hic accipiat. Proponit igitur ut de Anchialo cogitemus. Sed omnia plana sunt si En niano Astyanacti haec dicuntur. — 2) An. Sc. p. 5. — 3) Ritschelius Par. p. 166 dicit non necesse fuisse, cognomines diversorum poetarum fabulas additis nominibus seu numeris distingui sed id necesse fuisse in eiusdem poetae fabulis cognominibus. — 4) p. 203 H. — 5) cf. Plaut. Mil. Glor. 3, 1, 52.

Talis igitur mulier fortasse fabulae nomen dedit. Graeos quoque ex illa regione fabularum argumenta petiisse ostendit Alexidis *Βρεττία*, quam nisi ipsam Naevius expressit, similem certe ante oculos habuit.

IX. ASTIOLOGA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 8.

Nonius[1]) haec verba exhibet; „Prospica et despica, intenta et contempla. Nevius assitogiola: ac sibi prospica ac despica."

Atque assitogiolae quidem nomen nihil significare sed esse id depravatum omnes viderunt. Itaque miror Klussmannum qui quum in ceteris rebus non ita sit timidus, ubi timendi adest caussa, hic Nonii depravata frustula ita servat ut ne tentet quidem emendationem, quae ratio nobis indigna videtur et, nisi ipsi emendando assequimur rectum, tentabimus saltem ubicunque opus est rectum constituere, ut tandem multorum periculis inveniatur. Omitto nunc aliorum coniecturas, aliam alia remotiorem a textus literis ut Iunius ex. gr. coniecit „Naevius Agitatoria", Ribbeckium tantum laudo qui quum cogitet aut de astrologa aut de astiologa, astiologam in textum recipit eamque ex Graeca fabula cuius nomen *ἀστειολόγος* esse potuerit, expressam esse censet. Sed haec res duplici modo dubia est, quum solus Nonius semel hoc nomen laudet et Graeca comoedia ad quam nostram fabulam referamus, prius fingenda sit. Mihi quidem res absoluta videtur, si literas „assi" pro dittographia habemus, orta ex insequentibus „ac si (bi)"; fabulae autem nomen non dubito quin sit Togularia quam Novio trivuit Festus[2]). Simili modo quo hic togularia minuitur in „togula", Charisius[3]) pro corollaria scribit corolla.

X. AULULARIA.

Hoc fabulae Naevianae nomen editiones solum Nonianae ante Mercerum legerunt[4]) nulla codicum auctoritate.

---

[1]) p. 155 M. — [2]) p. 257 M. — [3]) p. 208 K. — [4]) p. 151 M.

Ritschelius [1]) adnotat, simili errore in codice Roma legi „Caecilii Aulularia". Libri aut Erulariam aut Heru riam exhibent. Itaque de Aulularia quam Plautus post recensuerit, non est cogitandum [2]).

XI. CARBONARIA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 8.

Naevii Carbonariam laudant omnes Prisciani libri [3]) ref runtque ex illa hunc versum:

„Tibi servi multi apud mensam adstant ille ipse ad stat quando edit."

Plauti vero Carbonariam citant Priscianus [4]), Festus [5]) Nonius [6]). Itaque Ritschelius [7]) censet nostrum quoque frag mentum ex Plauti Carbonaria esse petitum, praesertim quum Priscianus qui ipse nullas Naevii fabulas ante oculos habue rit, facile in laudando poetae nomine errare potuerit; ipse tamen Ritschelius hoc iudicium [8]) eo restingit, ut concedat Naevii Carbonariam a Plauto recensitam esse potuisse. Non in re tam incerta iudicium non ferimus; si quis vero quae sierit quid nos censeamus, Priscianum errasse puto, quamvis ut eius errorem explicem non tam praefracte cum Ritscheli dixerim, Priscianum nullas Naevii comoedias legisse; hoc enim nescio qua ratione evincatur. Sed ipsi supra iam ex posuimus quare nolimus Naevianas fabulas a Plauto recen sitas eiusque nomine in scenam esse prolatas.

XII. CEMENTRIA.

cf. Klussmann. p. 145.

Klussmannus hoc fabulae nomen retinuit ex Varroni libro [9]) ubi credidit codicem Florentinum sic legere. Sed i liber optimus, teste H. Keilio, Cemetria legit cum codd

---

1) Par. p. 74. — 2) cf. Hertz. p. 232. cf. Osann. an. crit. p. 158. — 3) p. 893 P. 522 H. — 4) p. 890 P. — 5) s. v. spectile. — 6) s. v. pa bulum. — 7) Par. p. 98. — 8) Par. p. 153. — 9) de l. l. 7, 54.

H. Eo magis reicimus nomen cuius significationem Klussannus ne ipse quidem perspexit. Plura de hac re addemus i de Commotria dicemus.

XIII. CLASTIDIUM.

cf. Ribbeck trag. rel. p. 235 p. 348.

Varro [1]) e Naevii Clastidio vocem „vitulantes“ affert, demque[2]) versum hunc e Naevii Clastidio laudat:

„Vità insepulta laetus in patriam redux.“

Hinc certum est, a Naevio Clastidium fabulam esse scriptam; sed sine dubio Clastidium non Clastidius, ut credidit Müllerus, vocabatur. Neukirchius [3]) hanc primam fuisse togatam tabernariam censet, cui quamquam iam Welckerus[4]) obloquutus est, adeo credidit Klussmannus ut vel argumentum comicum elicere studeret ex Livio 21, 48, 8 ubi narratur Clastidium, frumentarium Romanorum, a Dasio Brundisino Hannibali esse proditum. Sed ex hac re ne Naevius quidem comoediam extorsisset, erat enim res satis lugubris. Neukirchius autem in suam sententiam deductus est eo quod vicus Gallicus fuerit Clastidium. Rectam viam primus ingressus est Hauptius [5]) qui statuit in hac fabula agi M. Claudii Marcelli victoriam de Virdomaro reportatam, quam sententiam ut firmaret Grauertus[6]) exposuit quantam laudem Marcellus illa victoria meruerit; quin idem vir doctus censet, Plutarchum poëticis luminibus exornasse huius pugnae descriptionem, quae ex Naevii Clastidio in annalistarum et Livii libros fluxisse opinatur. Sed hanc rem relinquimus iniudicatam; summopere tamen verisimile est, illam pugnam a Naevio esse celebratam fabula praetextata; atque inter praetextas quoque, ut recte Grauertus admonuit, Diomedes[7]) Marcellum recenset, quem exscripsit Hrabanus Maurus I. p. 47 Col. quo nomine illi Clastidium significare videntur. Fragmenta duo quae supersunt laetitiam reditus exprimunt.

[1]) de l. l. 7, 107. — [2]) de l. l. 9, 178. — [3]) p. 66. — [4]) p. 1345 Nota 19. — [5]) Philol. I. p. 374. — [6]) Philol. II. p. 119. — [7]) p. 487.

Reportata est laetissima illa victoria anno 532, post hun igitur annum Clastidium acta est; quin licebit statuere, post mortem denique illius viri Romanis desideratissimi hanc fabulam in scenam esse productam. Si vero statuimus hanc praetextam anno 546 a Naevio esse scriptam etiam ceteris praetextis illud tempus aptissime convenit, ut paullatim processisse videatur tota Naevii ars a Graecis fabulis ad Romanas fabulas atque ad bellum Punicum. Et praecipue his praetextis, credo, convicia in principes coniecit propter quae paullo post in carcerem est coniectus, unde quum sese ad pristinum morem vertisset, ut innoxias scriberet comoedias, liberatus est.

Ceterum maxime mirum est, ipsum alicuius urbis nomen fabulae inditum esse, cuius nullum aliud exemplum neque apud Graecos neque apud Latinos extat praeter Ennii Ambraciam; de Nagidone enim et Leonte, urbium nominibus, summopere est dubitandum, de „Vescia“ vero, quam Hertzius Exc. phil. clin. p. 25 sqq. Persio tribuit, adsentior Ribbeckio, qui trag. rel. p. 351 verba in Persii vita corrigit „praetextam nescio quam“. Quodammodo vero similia sunt huic nomini nomina regionum quae ipsa admodum rara in atellanis extant, ex. gr. Lacus Avernus Laberii; sed Fretum Plauti Ritschelius summo iure in Feretrum mutavit

XIV. CLITELLARIA.

Clitellariam Naevii aliorumque laudat Wolffius [1]. Sed merum inventum hoc est, ortum ex corrupto Cistellariae Plautinae nomine. [2]

XV. COLAX.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 9.

De hac fabula Ritschelius quo utitur ingenii acumine disputavit [3] statuitque Naevii Colacem a Plauto recensitam atque pro nova in scenam esse productam. Sed fateor Rit-

[1] in prolegg. in Aulul. p. 9. — [2] cf. Ritschl. Par. p. 161. — [3] Par. p. 99 sqq.

shelium mihi suam sententiam non persuasisse, versatur nim tota quaestio de hac re in Terentii Eun. 25 sqq. ubi uscius Lanuvinus, hunc enim Terentii illum obtrectatorem uisse scimus, dicitur Terentio haec obiecisse:

„Colacem esse Naevi et Plauti veterem fabulam
Parasiti personam inde ablatam et militis."

Terentius vero ut sese ab illo opprobrio purgaret, addit haec:

„Colax Menandrist, in ea est parasitus colax
Et miles gloriosus: eas se hic non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Graeca: set eas fabulas factas prius
Latinas scisse sese, id vero pernegat."

Quae Terentii verba Ritschelius ita mutavit ut legeret

„Ex Graeca, set eas ab aliis factas prius."

Sed si codicum Terentianorum lectionem tuemur, haec Terentii est sententia: Menander Colacem scripsit in qua et Colacis et Militis Gloriosi personae sunt, hasce vero personas, Colacem scilicet et Militem Gloriosum fabulas Latinas factas esse ignorasse sese profitetur poeta. Adducit me ad hanc sententiam, ut de Planti milite cogitem illud quod poeta ex Naevio parasitum ex Plauto militem sumpsisse conicitur probabiliter ex collocatione verborum et quod tam expressis verbis Militem Gloriosum appellat, quod fortuito factum esse non credo; sed certe respexit Plautinae fabulae nomen. Sic igitur rem sibi cogitat, praeeunte Lanuvino, Terentius, Naevium ex Menandri fabula inprimis Colacem, Plautum vero Militem sumpsisse propriasque fabulas hisce nominibus scripsisse, et sic Colacis persona facta est fabula Latina et Miles Gloriosus; utraque quum ex Graeca Colace expressa videretur Colax nominari potuit; nec tamen dixit poeta „Colaces esse Naevii et Plauti veteres fabulas" quum pluralis numerus simul fabularum nomen mutaret, ut cogitaretur de colacibus non de colace. Ceterum quantum erraverit Luscius quod ex Graeca Colace Plautinam Militem expressam esse statuit, sciunt nunc quidem omnes

nec mirantur quum Terentius ipse fateatur sese ignoras Plauti et Naevii fabulas.[1])

Ex hoc Terentiano loco igitur de Colace Plautina nih efficitur. Itaque duo tantum fragmenta extant e Plauti C lace allata a testibus minime locupletibus, a Nonio s. v. B tiola et in fragmentis Plautinis ab Angelo Maio editis, qu bus si quis fidem in hac re habet, statuat is Plautum qu que Colacem scripsisse, nos ea adiungimus quatuor illi fragmentis quorum unum a Prisciano[2]) citatur, tria a Noni eaque omnia e Naevii Colace, excepto quod Nonius p. 462 M exhibet „Nevius Colare". Plauto vero illa duo fragment nescio utrum sola neglegentia scribarum tributa sint a propterea quod librarii meminerint Terentiani loci quem prave intellexerant.[3]) Varias virorum doctorum de hac re senten tias si quis cognoscere voluerit, ablego eum ad Ritschelii locum laudatum et ad Klussmannum.[4])

Bentleii errorem qui omnia Naevianae Colacis fragmenta Novii Colaci tribuit, quum falso Novii nomen in optimis libris Nonianis legi crederet, nunc omitto. Graeci poetae Colacem scripserunt Menander et Philemon, e quibus Me nandrum sequutus est Naevius, teste Terentio.

XVI. COMMOTRIA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 10.

Varro [5]) dicit: „In Menaechmis: inter ancillas seder iubeas, lanam carere. Idem hoc est verbum in cemetri Nevii."

Sic enim exhibet optimus cod. F., teste H. Keilio „cemetria" quoque legunt codd. Goth. et Haun.; cametria Par. a.; comedia: Par. b.

---

[1]) Beckerus de com. Rom. fab. p. 82 Militem ex Alazonte expressam et cum Colace contaminatam esse censet, quod contra Ritsch. Par. p. 100 eam ex Alazonte et Haeresiteichide contaminatam esse statuit. — 2) p. 874 P. 491 H. — [3]) Metuo ne nimis doctos fingam librarios. — [4]) p. 140. — [5]) de l. l. 7, 54 M.

Klussmannus qui credidit in cod. F. legi cementria, hoc omen retinuit quamquam ipse sese id non intellegere dicit, tque ne „cemetria" quidem intellegitur. Recte igitur conecturis nomen sanare studuerunt viri docti proposueruntue „comedia" scriba cod. Par. b. „cosmotria" editor Alinae „commotria" Turnebus, prob. Ribbeckio, „cosmetria" Bothius prob. Müllero et Meinekio.[1])

Commotria et cosmetria coniecturae eadem probabilitate commendantur, quod enim Klussmannus dicit, servos quidem cosmetas sibi notos esse, servas vero cosmetrias non esse, nihil valet, quum etiam cosmetriae a posterioribus Graecis scriptoribus usurpentur. Sed quamquam ferri potest haec emendatio, tamen Graecae fabulae cosmetriae vel commotriae nusquam mentio fit et magis certe placebit si cum alia fabula Naeviana hoc fragmentum conglutinamus. Proxime igitur adest fabula „demetrius" cuius nomen hic restituere velim. Nec solum literarum similitudo favet huic emendationi, sed etiam accedit altera ratio quae auget nobis bonam in hac re fiduciam. Namque Varro[2]) adfert ex Demetrio Naeviana vocabulum „persibus". Eandem vocem Festus[3]) servavit quum laudet Naevii fragmentum

„et qui fuerit persibus carpendi adest ratio[4])

quare hoc quoque fragmentum e Naevii Demetrio petitum esse probabiliter censuit Klussmannus. In voce „carpendi" vero agnoscere mihi videor vocem e Cemetria Naevii servatam, nec credo audacius esse hic pro „carpendi" scribere illud „carendi" quod idem significat, teste Varrone.

Diu dubitarunt viri docti utrum togata fuerit an palliata Demetrius. Meierotto[5]) enim, quum Livium nonnunquam tragicum egisse contenderit, censet, certe scenam Thyesteam descripsisse Livium, quum Persei et Demetrii de imperio contentionem narrasset; quibus verbis crederem illum

---

[1]) hist. crit. com. Graec. I. p. 584. — [2]) de l. l. 7, 107. — [3]) p. 217 M.

[4]) Ribbeckius hoc fragmentum inter incerta reponit nono loco:

„ecqui fuerit persibus cum argenti adest oratio?"

[5]) De T. Livii arte narrandi et artificio historico Berol. 1798.

Naevii fabulam inter praetextas recensuisse, nisi huic opini
repugnaret temporum ratio.

Etiam Grauertus [1]) praetextam hanc fabulam esse pu
in qua Demetrii Pharii a. L. Aemilio Paulo victi fata s
fuerint. Sed quaerimus num unquam hostis populi Rom
in praetexta productus sit in scenam inter Romulos, Ma
cellos, Paulos? Libenter igitur accipimus Hauptii [2]) se
tentiam, qui dicit Naevium vertisse comoediam Alexid
Δημήτριον, ἢ Φιλέταιρον. [3]) Vix adnotandum est postea etia
Turpilium scripsisse Demetrium.

XVII. COROLLARIA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 10.

Undecim huius fabulae fragmenta nobis sunt servata
quorum decem Charisio, unum Varroni debemus. Fulgen-
tius [4]) quoque fragmentum Corollariae Varronis laudat in
quo extat illud vocabulum quod Varro ex Naeviana Corol-
laria adfert ut Fulgentius cetera ipse ex suo penu addidisse
videatur. Referta est tota fabula vocibus quas dicimus
onomatopoeticis, quales sunt: st. attat tattatae. Intercurrisse
nonnulla obscena ostendit vox „trit" apud Charisium [5]), cuius
significationem praeclara emendatione restituit Keilius, signi-
ficat enim crepitum polentarium. Argumentum fabulae quod
ex fragmentis intellegi possit, hoc fere fuit: Mulier quae
corollis vendendis victum quaerit duos amatores habet quo-
rum alter ratione magis quam amore utitur (fgt. I), laudat
is eam mulieris virtutem quod vel ipsos amantes alere pos-
sit (II) cum rivali conloquitur (III). Sed paullo post au-
disse videtur, rivalem Bona fortuna osculatum esse suam
Amasiam optatque ut illa nasum ei abstulisset (IIII). Ama-
sia admonet amatum ut caveat a rivali (V) qui domum

---

[1]) Phil. II. p. 126. — [2]) Phil. I. p. 375. — [3]) cf. Ribbeck. trag. rell.
p. 349. cf. Ladew. an. sc. p. 13. e Plauti Bacchidibus 4, 7, 71 discimus
praeter Demetrium Cliniae personam actam esse in hac fabula. — [4]) p. 565
[5]) p. 213 P. p. 239 K.

ɔpugnat eamque deleri iubet (VIII) Mulier interea amatum ɔscondit eique inponit silentium (VII). De Graeca fabula uam expresserit Naevius non constat; scripsit enim Eubulus uem nonnunquam sequitur, fabulam Στεφανοπώλιδες, sed in ostris fragmentis de una tantum muliere sermo est non de luribus et refragatur ipsum comoediae nomen quod necesse st voce „muliere“ suppleamus. Mulier enim quae fabulae omen dedit est corollaria, neque videtur fabula de corolla liqua nomen accepisse. Aut mutavit igitur Naevius Eubuli abulam ita ut pro duabus mulieribus unam induceret, aut xemplum aliud habebat cuius nomen fortasse Στεφανόπωλις rat. Nos hanc rationem tenemus ut aliam fabulam sequuus sit, quum vix intellegas cur Romanus poeta quem vel ontaminasse scimus ut rem implicatiorem efficeret, sic reieerit alteram mulierem, in qua certe cardo rei versabatur.

XVIII. DANAE.

cf. Ribbeck. trag. rel. p. 5.

Undecim huius fabulae extant fragmenta quorum sextum is citatur, quae quum omnia ex Nonio desumpta sint, staaere licebit, ipsum Nonium hanc fabulam ante oculos hauisse; duodecimum fragmentum accedit quod Livii nomine audat Nonius. De poetae fabulaeque nomine constat nec ninus de singulis fragmentis, nihil enim difficultatis praebent ulgares illi errores quibus Dane seu Sane seu Danea pro)anae in libris invenitur. Sed Welckerus[2]) comoediam fuisse)anaen censuit primum quod Danae a patre non includatur ed eiciatur, quod, quum a mytho alienum sit, simul a traoedia alienum esse vir acutissimus contendit. Deinde vero ragmenta nonnulla comoediam ei sapere videbantur, exempli ratia illud quod Ribbeckius codicum Nonianorum auctoriate motus Livio tribuit: [3])

---

1) cf. Ribb. trag. rel. p. 2. — 2) p. 1371. — 3) p. 473.

„etiam minitas? mitte ea quae tua sunt magis quam mea“ et fgtum. III: excidit orationis omnis confidentia et fgtum IV: eam nunc esse inventam probri compotem scis.“

Sed Welckerum magis studio quam consilio ad hanc sententiam delatum esse unusquisque videt, defendit scilicet id quod semel statuerat, Naevium nullas scripsisse tragoedias. Namque ne Naevii quidem Danae in exilium mittitur, fragmentum enim octavum

„indigne exigor patria innocens“

unde Welckerus suam rem conclusit, etiam dici potest a muliere quae inclusa in cistam e patria terra in fluvium ac mare proicitur. Quin etiamsi in exilium mitteretur tamen e mutato mytho nihil de ipsius fabulae genere sequi videtur.[1]) Deinde, quum duodecim fragmenta ante oculos habeamus, unum alterumve certe apertius comoediam saperet, quam ut dubium esse posset, sed ne ullum quidem Welckeri sententiae favet. Itaque optime fecerimus si tragoediam Danaen fuisse statuerimus; et quamquam Danaen comoediam scripserunt Apollophanes et Sannyrio tamen hos veteres comicos non sequutus est Naevius, sed potius Euripidem tragicum.[2]) De fragmentorum argumentis omnino cum Ribbeck. trag. rel. p. 246 consentimus ad quem lectores benevolos ablegamus, qui, quaeso, adiciant inter fragmenta VIII et IX illud quod Ribbeckius Livii Danaae tribuit.

XIX. DEMETRIUS.

Vide quae de „Commotria“ disputavimus.

XX. DEMENTES.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 12.

Diomedes:[3]) „Item habeo et habito dicimus, ut apud Naevium in dementibus: „animae pauxillulum in me habitat.“

---

[1]) cf. Hertz. p. 227 qui Welckero obloquitur. — [2]) cf. Bentleium in epist. ad Millium p. 464. — [3]) p. 344 K.

Ribbeckius recte pro „in me habitat" scripsit „in me ıabet". Sed quod omnes qui Naevii fabularum fragmenta diderunt, fabulam Naevii quae „dementes" inscribitur, acceperunt, scrupulum mihi movet. Eiusmodi enim fabulam nagis expectaremus illo tempore quo Sanniones scripta est quam Naevii aetate, et laudantur quidem fabulae *Μαινόμενος* Diodori Sinopensis et Diphili, sed mira res esset, si plurali nomine inscripsisset fabulam ex illis expressam, non minus fere quam si *Στεφανοπώλιδας* nomine singularis numeri reddidisset; accedit quod illorum poetarum nullas alias fabulas expressit Naevius. Haec ratio me movet ut abrogem Naevio „Dementes", quod facillima ratione efficitur si Diomedis verba sic restituimus:

„ut apud Naevium .... in dementibus
animae pauxillulum inhabet ...."

fragmentum igitur hoc inter incerta recensendum est.

XXI. DIOBOLARIA.

cf. Klussmannus p. 150.

Fragmentum ex Naevii Diobolaria laudat Fulgentius:[1])

„myropola affatim mihi
Unguentum largitus est quo me venustarem."

Quam fabulam quum Klussmannus „diabolariam" nominasset, Hertzius [2]) e codicibus rectum nomen restituit, ac profecto multum hic valet codicum auctoritas, quum monachi certe, si diabolaria scriptum fuisset, rectum nomen, de diabolo cogitantes, servassent; nunc vero diobolaria, diovolaria, dyovalano, diovalaria in codicibus legitur, nusquam „diabolaria". Itaque hac fabula Naevius neque Apollodori Carystii nec Nicostrati *διάβολον* expressit.

Ritschelius quum ostenderit fabularum nomina nonnisi vere Latina in „aria" formari[3]), dubitavit de hac fabula quod nomen illud a Graeca voce esset derivatum; sed diabolares

---

[1]) p. 565 M. — [2]) p. 232 H. — [3]) Par. p. 141.

meretrices et Festus s. v. et Varro[1]), diobolarem anum Plautus[2]) nominant, et scorta diobolaria occurrunt in Plauti Poenulo[3]), ut haec quoque diobolaria eiusmodi scortum esse possit. Sed praeter ipsum nomen semigraecum myropolae mentionem facit fragmentum, quae vox etsi apud Plautum non nusquam legitur, tamen quum nunc duae voces semigraecae in uno fragmento legantur, admodum infirmatur Fulgentii auctoritas quae nulla est; probanda est igitur Ribbeckii ratio qui ne verbo quidem attigit Fulgentii nugas.

XXII. DOLUS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 12.

Huius fabulae Naevianae notitia fluxit ex celeberrimo illo loco Varronis[4]), ubi legitur: „Naevius in Hesione ... in Dolo: „caperata fronte" a caprae fronte. Sic exhibent omnes Varronis codices praeter cod. B. Spengelii, qui manu interpolatrice exarat „doloreste". Itaque nemo qui Varronem nullas nisi Naevianas fabulas ibi enumerare censet, Bothium Stieglitzium alios sequetur qui Pacuvio illa verba non Naevio tribuunt.

Sed Klussmannus in aliam rem eamque satis miram incidit; quum enim legeret apud Plautum[5]):

„Superavit dolum Troianum atque Ulyssem Pseudolus"

et apud Vergilium[6]): „ipse doli fabricator Epeus"[7])

censuit dolum fuisse equum Troianum et nostram fabulam eandem esse atque Equum Troianum; in qua re consentire cum eo videtur Hertzius[8]), strenue vero repugnat Hauptius[9]) qui hanc sententiam non sine iure fundamento egere dicit, namque Dolus Troianus quem Plautus Pseudolo ludens op-

---

[1]) de l. l. 6, 3. — [2]) Pseudol. 2, 2, 64. — [3]) 1, 2, 58. — [4]) l. l. 7, 107. — [5]) Poen. 4, 8, 7. — [6]) Aen. 2, 264. — [7]) De loco Homeri enim in Od. 8, 492 quem adfert Kl. „δόλον ἤγαγε δῖος Ὀδυσσεύς". Hauptius iam respondit ibi legendum esse cum Bekkero ex Aristarchi recensione „δόλῳ". — [8]) p. 227. — [9]) Philol. I. p. 375.

onit, non est machina aliqua sed persona quae coniungitur um Ulixe, et recte statuerunt Plauti interpretes „Dolum" sse „Dolonem" cuius nomen e caussa satis aperta Plautus atine reddidit. Si vero Epeus a Vergilio nominatur doli bricator, dolum quidem eum fecisse audimus, sed nimis reduli essemus, si concluderemus propterea solere Equum Troianum a poetis dolum dici. Mittimus igitur hanc rem ensemusque *Δόλωνα* Eubuli expressam esse a Naevio.

XXIII. EQUUS TROIANUS.

cf. Ribbeck. trag. rel. p. 6.

Afferuntur tria ex Equo Troiano fragmenta, quorum num laudat Nonius [1]) Livii nomine, alterum Macrobius [2]) Naevio tribuit, tertium ex extrema Equi Troiani parte menorat Cicero [3]) quod idem, nullo poetae et fabulae nomine ddito, adfert Festus. [4])

Si utimur ea ratione quam adhuc semper tenuimus, Nonii testimonium cedit Macrobio, ut unam Equum Troianum eamque a Naevio scriptam esse censeamus, nam quod refert Welckerus [5]) Equum Troianum aut a Livio solo esse criptam aut post Livii tragoediam a Naevio comice esse ractatam, ortum est ex Welckeri studio quo Naevio tragoedias abrogare solet.

Cicero [6]) saepe Equo Troiano utitur in proverbio, scimusque hanc fabulam anno 699 actam esse una cum Attii Clytaemnestra [7]) idque magnifico adparatu, ut patet ex Ciceronis verbis [8]): „Quid enim sexcenti muli in Clytaemnestra aut in Equo Troiano craterum tria milia?" propter quae Ribbeckius [9]) censet, Attii Deiphobum fortasse Equum Troianum fuisse appellatam, sed quum nihil de hac re referant veteres, acquiescendum nobis est in Naevii Equo. Quae vero

[1]) p. 475 M. — [2]) Sat. VI, 1, 38. — [3]) ad Div. 7, 16. — [4]) p. 343 M. [5]) p. 1369 et p. 1372. — [6]) Phil. 2, 13, Mur. 37, de orat. 2, 22, 49 in Verr. 2, 4, 23, 77. — [7]) Drumann. IV p. 524 cf. Welcker. p. 1324, p. 1370. [8]) ad Div. 7, 1, 8. — [9]) trag. rel. p. 247.

disputat Stievius[1]), quum splendor ille trium milium crate-rum abhorreat a Naevii simplicitate, postea hanc fabulam esse recensitam, nihil valet[2]), fabulae enim verba non me-tantur sive decem sive tria milia craterum in scena apparet. Itaque nos quidem statuimus nec Livii neque alius cuius-quam Equum Troianum extitisse sed Naevii solius, eamque Ciceronis aetate maiore adparatu in scena actam esse quam Naevii aetate moris fuerit.

Utrum haec fabula tragoedia fuerit an comoedia nunc vix in dubio est. Hertzius[3]) quidem comoediam illam fuisse opinatur quod Equum Troianum eandem fabulam ac Dolum fuisse cum Klussmanno statuit, Dolum vero comoediam fuisse inde sibi videtur demonstrasse, quod Varro de l. l. 7, 107 post Hesionam, quam primo loco ponit nullas trago-dias enumeret. Sed quamquam nos quoque Dolum comoe-diam fuisse credimus, tamen ex Hertzii ratione hoc non ef-ficitur[4]), deinde vero minime, ut vidimus, probatur, Dolum congruere cum Equo Troiano. Tragoedia potius fuit Equus Troianus quod patet quum ex magnifico illo apparatu qui in comoediis certe nusquam invenitur, tum inde quod una cum Attii Clystaemnestra acta est. Expressit Equus Tro-ianus, auctore Welckero[5]), Ἐπειόν Euripidis. Quod Osannus[6]) saturnium quoque versum in Equum intrudere studuit vix dignum est memoratu, quum enim meminisset vir doctus trium milium craterarum, fragmentum a Mario Victorino[7]) servatum: „Ferunt pulcras crateras aureas lepistas" innexuit in Equum Troianum quod nunc optimo iure in libro primo belli Punici legitur[8]).

XXIV. EROTOPAEGNIA.

cf. Weichert. poet. Lat. rel p. 80 sqq.

Apud Nonium[9]) legitur: „Neuius Erotopaecnion" quo loco Mercerus iam coniecit „Laevius". Nos verba facere

[1]) p. 84. — [2]) cf. Welcker. p. 526. — [3]) p. 228. — [4]) cf. quae de He-siona disputabimus. — [5]) p. 1487. — [6]) an. crit. p. 6. — [7]) p. 2587 P. [8]) cf. Vahlen. bell. Pun. 1, 13. — [9]) p. 133 M.

mus si ad accuratissimam Weicherti disputationem plura dderemus.

XXV. ERULARIA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 15 „Nervolaria“.

Nonius [1]): „Praecisum et omasum, partes carnis et viscerum. Naevius Erularia:

praecisum omasum pernam callus glisis glandia.

Editiones hic ante Mercerum legebant „Aulularia“, manuscr. Gaud. legit: „Naevius Herularia“, ms. Iun.: „Ennius Erularia“. Ritschelius [2]) probat „Nervolaria“ hic esse legendum quum apud Gellium et Varronem idem nomen eadem ratione corruptum sit. Apud Gellium [3]) enim libri et „nervulariam“ legunt et „nervulariam“ supra *n* suprascripta *h* litera, et apud Varronem [4]) libri exhibent „intervolaria“ et „in ervolaria“. Itaque nos quoque legimus „nervolaria“ praesertim quum „herularia“ fabula nusquam alias laudetur nec laudari possit, fabularum enim nomina quae in „aria“ formantur, semper a rebus, nunquam vero a personis derivantur. Si vero legimus „nervolaria“ minime dubitamus quin cum Ritschelio Plauto hoc fragmentum tribuamus, cuius nervolaria laudatur a Varrone l. l., a Nonio s. v. insanum et quater a Festo; idque eo libentius facimus quod Nonius saepe omnium poetarum nomina confundit et nostro loco ipsi libri Noniani fluctuant inter Naevii et Ennii nomina.

XXVI. FIGULUS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 12.

Unicum Naevianae Figuli fragmentum extat apud Charisium [5]). In Graecis fabulis duae inveniuntur quas Naevius exprimere potuit, *κοροπλάθος* Anthiphanis et *ἐκπωματοποιός* Alexidis, quorum fortasse hunc quem plerumque sequutus est, hac quoque in fabula exemplum habuit.

1) p. 151 M. — 2) Par. p. 96. — 3) N. A. 3, 3. — 4) de l. l. 7, 68.
5) p. 208 K.

XXVII. GLADIOLUS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 3.

Gladiolum Festi codex [1]) Livio tribuit; itaque errore tantum virorum doctorum factum esse videtur, si Naevii hanc fabulam fuisse censuerunt. Sed inde ab Osanno[2]) nemo iam de huius fabulae poeta dubitat.

XXVIII. GLAUCOMA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 12.

Priscianus[3]): „Tango praeterea tetigi facit et pungo pupugi vel punxi. Varro in I humanarum.. Nevius in glaucoma:

— — — quod de opsonio
Stilo mihi in manum pupugit. —

Consentiunt libri in nomine poetae et fabulae, excepto quod G L K legunt „Glauconia". Argumentum fabulae, si nomen consideramus in oculorum morbo aut in fraude aliqua versatum esse videtur; Graeca fabula eiusdem nominis non extat, conferri tamen potest Ἀπεγλαυκωμένος Alexidis. Quum in Naevii Glaucoma illud „de opsonio" Klussmannus de piscibus intellexerit haec res de Leutschium[4]) permovit ut cogitaret, cohaerere hanc fabulam cum pisce Glauco sive cum deo marino, praesertim quum in fragmentis Alexidis de piscibus sermo sit. Sed ipse suam sententiam reiecit, quod „Glaucoma" non cohaereret cum „Glauco" piscis nomine, et magis eam reiecisset, si considerasset Naevium de piscibus non loqui in Glaucomae fragmentis.

XXIX. GYMNASTICUS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 12.

Nonius octo Gymnastici fragmenta servavit quae vel ipsis reliquiis ostendunt, quam pulcra atque iucunda illa fabula

1) p. 210 M. — 2) an. crit. p. 52 et 56. — 3) p. 894 P. 524 H. — 4) In enc. Ersch. et Grub. s. v. Glaucoma.

ıerit. Argumentum enim hoc fere fuisse videtur: Pater uidam postulat ut Gymnasticus vetulam uxorem ducat, is ero quum virginem amet, quaerit ex patre vel ex alio quouam utrum melius sit, virginem an vetulam uxorem ducere II) deinde confitetur sese impetu ad amorem ferri negatque ıavem suam ancoris posse sisti (I) queritur vim Cupidinis III) qui vincit homines beluasque (IV) et ipsa saxa scindit V). Postea pater cum filio consentire eumque heredem faere videtur (VI), quem laetum nuntium a parasito Amasiae erri iubet, sed parasitus nimis tarde cupienti incedere videur (VII) nec sequi morem parasitorum qui praecipites curunt ut cenam mereantur (VIII). Certe Naevius hanc fabuam e Graeca aliqua Gymnastico vertit cuius vestigia nunc ılane abolita sunt.

XXX. HARIOLUS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 7.

Teste Gellio[1]) Naevius in carcere duas scripsit fabulas, Iariolum et Leontem, quibus delicta sua et petulantias dicorum, quibus multos ante laeserat, diluit. Quum Naevius odem fere tempore duas illas fabulas scripserit, nos quoque le utraque hoc loco dicere instituimus. Scimus Naevium ostremo vitae tempore incidisse in praetextas fabulas exosuimusque verisimile esse, eum in his praecipue principes ivitatis laesisse, quae convicia non potuit melius tollere quam si regrediebatur ad illud genus fabularum quo antea opulo placuerat comoedias dico e Graeca lingua versas. Nunquam enim credo Naevium expressis verbis convicia sua ıustulisse, multo minus vero eum adulatum esse principibus ıt statuunt Klussmannus et alii[2]). Klussmannus enim cenet Hariolum praedixisse gloriam Corneliae gentis, Leontem ıutem Metelli castra apud Leontem oppidulum celebrasse.

---

[1]) N. A. 3, 3, 15. — [2]) Köpkius l. l. p. 1230 existimat Naevium locos nalignos eliminasse in carcere.

Sed nonne magis etiam succensere debebant Cornelii si mendicum atque hariolum faciebat eos laudare? Deinde incertum quidem est Metellum in castris prope Leontem positis adfuisse nec quidquam in illis castris gestum est, unde argumentum satis dignum peteretur, ni forte comoediae in qua Metellus rideretur. Ex nostra igitur sententia nulla alia re diluit crimina Naevius quam quod revertit ad pristinum morem vertendi.

Atque primum quidem quum Lupum seu Alimonium Remi et Romuli antea docuisset, Leonem in carcere scripsit, quam e Graeco exemplo versam esse ipsius Gellii verba significant, qui „leontem" non „leonem" format accusativum. Drakenborchius[1]) quidem censuit, Leonte significari illum hominem quo auctore Apollodorus Athenis pulsus sit, sed huic sententiae obstat temporum ratio, quum ille, Naevio iam mortuo, accusarit Apollodorum. Similiter de nullo alio homine Leonte nominato cogitari posse ostendit Klussmannus[2]) qui ipse de oppidulo Siciliensi Leonte cogitat. Sed quamquam duo oppidorum nomina in fabulis occurrunt tamen hac in re summa cautione opus est praesertim quum nequaquam videamus quid de Leonte illo oppido Naevius ludere potuerit[3]).

Nos igitur „leonem" ex Graeca „leonte" quadam expressam esse censemus oppositamque Lupo praetextae.

Alterius fabulae quam Naevius in carcere scripsit, Harioli dico, duo fragmenta servata sunt, alterum a Festo[4]) alterum a Macrobio[5]).

Festi fragmentum „Leoni si autem deprandi obdas oreas" quum censeat Ribbeckius ex prologo fabulae esse petitum, lubentissime adplaudo ita rem explicans ut Naevium hic alludere censeam ad „Leonem" fabulam quam paullo ante

---

[1]) ad Liv. 35, 50, 4. — [2]) p. 158. — [3]) Grauertus l. l. p. 125 dubitat utrum praetexta fuerit an togata, censet vero togatam illam fuisse, quum praetextae semper personarum nobilium nomina gererent, qua in re vir doctus oblitus esse videtur, se ipsum Clastidium inter praetextas numerasse. — [4]) p. 182 M. — [5]) Sat. 3, 18, 6.

sripserit[1]). In fragmento quod laudat Macrobius adparent raenestini et Lanuvini hospites, qui, ni fallor, ab ipso poeta i Graecum argumentum inlati sunt satisque ostendunt eum im didicisse propriis alis uti; de togata enim, quae ante itinium nulla erat, audacius esset cogitare propter hoc som fragmentum, praesertim quum Graeca exempla extant nde verti potuerit Hariolus. Graecae enim eiusdem argunenti fabulae fuisse videntur Μητραγύρτης Anthiphanis, Μάντις Alexidis, Δεισιδαίμων Menandri, Ἀγύρτης Philemonis, juarum fortasse Ἀγύρτην ante oculos habuit poeta[2]).

XXXI. HECTOR PROFICISCENS.

cf. Ribbeck. trag. rel. p. 7.

Quae Naevianae Hectoris fragmenta extant, errore quonlam Ennianae fabulae Hectoris Lustris tribuebantur revera enim Naevii sunt cuius fabulam Cicero etsi non expressis verbis laudat, tamen compluribus locis cum Hectore Naeviano loquitur[3]) et Priscianus[4]) ipsius fabulae nomen nobis tradidit: „Naevius in Hectore proficiscente:
Tunc ipsos adoriant ne qui hinc Spartam referat nuntium“, quo loco Vossius non sine probabilitate „proficiscente“ mutavit in „proficiscentes“ quam vocem cum fragmento coniunxit, ut nomen fabulae „Hector“ evaderet. Sed licet Naevius fabulam suam Hectorem adpellarit, tamen postea Hector proficiscens inscripta fuisse videtur quum Atta „tironem proficiscentem“ cuius nomen ad Hectorem fortasse referendum est, scripserit. De Klussmanni sententia qui Hectorem cum Andromacha conglutinavit diximus s. v. Andromacha, tragoediam vero Hectorem fuisse exposuimus in prohoemio huius partis.

Welckerus[5]) Hectorem cum Hectore Astydamantis componit.

---

[1]) Plerique censent Naevium se ipsum hoc leone significasse. — [2]) cf. Ribbeck. com. rel. p. 8. — [3]) cf. Tusc. 4, 31, 67; ad Div. 5, 12 et 15, 6. [4]) p. 801 P. 400 H. — [5]) p. 1382.

XXXII. HESIONA.

cf. Ribbeck. trag. rel. p. 7.

Gellius[1]: Naevius in tragoedia Hesiona:
„Ne mihi gerere morem videar lingua verum lingula".
Eundem versum Varronis menti obversatum esse censet O. Müllerus. Varro[2]) enim dicit: „Multa apud poetas reliqua esse verba quorum origines possint dici non dubito, ut apud Naevium in Hesiona: „enimvero gladii lingula" ubi verba „enimvero gladii" ab interprete aliquo e Gellio in marginem adscripta et postea in textum inrepsisse videntur.

Hesionam tragoediam, non comoediam, fuisse, ut statuit Welckerus[3]) cum Bothio, ostendit Gellius quamquam Hesionam tragoediam nunc quidem nescimus quis Graecorum scripserit, comoediam vero Alexidem docuisse constat.

Res maximopere mira est, quod illo Varronis loco, ubi plures Naevianae fabulae alphabetico ordine enumerantur, extra ordinem in initio posita est Hesiona; cur enim bellum Punicum in fine enumeretur, adparet. Atque Hertzius quidem censet, Hesionam primo loco positam ab aliisque fabulis segregatam esse quod tragoedia fuerit, insequentes vero fabulas et comoedias et praetextas nullo discrimine permixtas esse, qua in re mira certe esset Varronis ratio, tragoedia enim etsi argumento a comoediis differt, tamen, quod utraeque e Graeco versae sunt, facilius cum comoediis conponi potest quam praetextae quae nec argumento nec origine comoediarum quidquam simile habent. Aliam igitur rationem indagari debemus. Apud Varronem codd. F. G. H. omittunt in fabulae nomine literam *h* leguntque „esiona"[4]) apud

[1]) N. A. 10, 25. — [2]) de l. l. 7, 107. — [3]) p. 1370. — [4]) Falsum est quod dicit Forcellinius sub lit. *h*, Gellium N. A. 2, 3 dicere, aspirationem Vergilii aetate non solitam esse literis interseri sed Graecorum more supra literas adscribi. Gellius enim dicit, se vidisse librum autographum Vergilii, in quo quum „Aena" scriptum fuisset, postea suprascriptum sit *h* a manu correctrice, nam, teste Gellio, eiusdem Vergilii optimi libri alio loco „aheni" exhibebant.

ellium vero l. l. cod. reginae legit „haesiona" quam ean- m depravationem ex. gr. Prisciani[1]) libri ostendunt in Hec- ris nomine quod codd. RBDH „haector" scribunt. Itaque ostro quoque loco primum scriptum fuisse censeo „Aesiona", uam scripturam quum Varro non adhibuerit, videmus, libra- ium nescio quem, qui crediderit vocem Hesionam esse Ae- ionam scribendam, mutasse vocabuli sedem illudque in initio osuisse.[2])

Ceterum ludit poeta in hac fabula vocibus „lingua" et „lingula" unde quadamtenus iudicare licet qua arte Graecos erterit, qui eadem duplici significatione utuntur in voce τόμα, quae in Sophoclis Aiace[3]) aciem mucronis significat.

XXXIII. IPHIGENIA.

cf. Ribbeck. trag. rel. p. 7.

Nonius[4]): „Passum, extensum, patens .... Nevius Efigenia: passo vel hoc vicinum aquilone hortum fer foras."

Eum qui Nonii testimoniis satis firmam fidem praebet non possumus prohibere, quin Naevium quoque Iphigeniae uctorem habeat; nos vero celeberrimae Ennianae tragoediae oc fragmentum tribuimus cum Welckero[5]) et Bergkio[6]), tsi Bergkii ratio qui desiderat epitheton ad Ennii Iphige- iam adpositum si Naevius quoque Iphigeniam scripsisset, ne non movet. Nec vincit argumentum quo Ladewicus de- monstrare studet, Naevium Iphigeniam Tauricam scripsisse, quod Plautus[8]) Orestem inter eos enumeret quos insanos spectaverint Romani, namque et Aegisthus et Hermione Livii atis ostenderant Romanis furentem Orestem.

XXXIV. LAMPADIO.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 13.

Ex Lampadione Naevii nihil notum est nisi vox „pro-

---

[1]) p. 400 H. — [2]) Simili fere ratione dea, cuius nomen Graece Ἡγερία cribitur, Aegeria nominatur in inscriptione apud Montfauconium in Diar. tal. p. 152. — [3]) v. 651. — [4]) p. 370 M. — [5]) p. 1369. — [6]) catal. ect. Marb. Aest. 1844. [7]) An. Sc. p. 15. — [8]) Capt. 3, 4, 30.

tinam" quam laudat Varro[1]). Illum vero Varronis locum Nonius[2]) in mente habuisse videtur. Graeca fabula Lampadio non extat; a servo fabula nomen accepisse videtur quum etiam in Plauti Cistellaria Lampadio servi nomen sit.

XXXV. LEON.

cf. s. n. Hariolus.

XXXVI. LIGNARIA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 220.

Gellius[3]): „Novius in Lignaria verbum quod est utitur ex contraria parte dicit:

Quia supellex multa quae non utitur emitur tamen."

In poetae nomine hoc Gellii loco consentiunt omnes libri, summa vero illud subsequitur librorum discrepantia, in qua optimi libri eo nos ducunt ut legamus „Novius inligat archaeam[4]) in lignariam nam verbum quod est utitur ex contraria parte dicit." Est enim haec codicum scriptura: Lugd: inligat archa iam in lignaria; Par: ligat archiam in lignariam; Reg. Germ. Magl: ligitarca; Petav: ligatarcha; Voss: ligot tarca.

A Gellio igitur docemur Novium Lignariam scripsisse, quod testimonium tollit scrupulos si qui oboriuntur loco Prisciani[5]) ubi Lignariam fabulam optimi libri Novio tribuunt quum Grut. et Borb. Nevii nomen exhibeant, Regius *e* supra *o* scriptam, Sang. *No* in rasura, Bong. vero „Nonius" praebeat.

Itaque cum omnibus fere qui haec fragmenta tractarunt, Novii non Naevii Lignariam fuisse censemus.

---

1) l. l. 7, 107. — 2) p. 376 M. — 3) N. A. 15, 13. — 4) sc. vocem.
5) p. 657 P.

XXXVII. LUDUS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 14.

Naevii poetae Ludus commemoratur a Cicerone[1]), vaante tamen codicum scriptura, quum plurimi libri legant it est in Nevii poetae ludo“ Bas. Par. Erf. vero „in Nevii osteriori libro“. Cicero dicit fere: „In Naevii illo poemate ercontabantur

edo qui vestram rempublicam tantam amisistis tam cito?
espondentur et alia et hoc inprimis:

Proveniebant oratores novi stulti adulescentuli.“

Tt igitur iam mittamus depravatam illam lectionem quae aevio duos nescio quos libros obtrudit, in hoc ludo duae artes et interrogant sese et respondent sibi; scena vero, si uid video, non est in urbe Roma[2]), ibi enim nemo id temoris quaerere potuit, qui amiserint tam cito rempublicam, ed Graecum hoc argumentum esse videtur, quamquam mulis fortasse modis quadravit ad res Romanas, nam non sine aussa carpuntur hic oratores novi stulti adulescentuli, quius verbis non potuit quin laederet nobiles iuvenes Cornelios t Metellos; atque haec fabula, si quae alia, derivanda videur ex vetere Atticorum comoedia ex qua Cratetis fabula αιδιαί fortasse argumentum praebuit ita ut per allegoriam angeret res Romanas. Et propter hoc argumentum non idemur nobis nimis a recta via aberrare, si tempus quo aec fabula scripta sit, mediis in controversiis ponimus quius cum principibus civitatis Naevius depugnabat. Klussnannus, qui cum satira confundit Ludum, nec perspexit ragmenti argumentum et nimis leviter Naevio satiram triuit quam nos Ennio damus. Reicienda est quoque Teuffelii ententia qua censet ludum esse idem ac fabulam quum, teste orcellinio, ludus nunquam significet fabulam nisi expressis erbis opponatur aliis ludis ludus scenicus.

[1]) Cato M. 6, 20. — [2]) testatur hoc expressis verbis Cicero quum licat „quod si legere aut audire voletis externa, maximas respublicas b adulescentibus labefactatas a senibus sustentatas reperietis. Cedo qui etc.

XXXVIII. LUPUS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 14.

cf. quod de Alimonio diximus.

XXXIX. LYCURGUS.

cf. Ribbeck. trag. rel. p. 8.

Naevii Lycurgus inprimis a Nonio servata est qui 23 fragmenta inde exscripsit, quorum decimum etiam a Prisciano [1]) laudatur et, mutato Naevii nomine in nomen Plauti, bis in thesauro nov. Lat. apud A. Maium.[2]) Fragmentum vicesimum quartum adfert Festus [3]). Longum est omnia iudicia prava rectaque colligere quae de hac fabula data sunt, inter quae miram Klussmanni sententiam, qua censet hanc fabulam ex Euripidis Bacchis et Aeschyli trilogia Lycurgea esse contaminatam, iam supra tetigimus. Inter eos vero qui comoediam Naevii Lycurgum fuisse statuunt, excellit Düntzerus[4]) qui etiam fragmenta ita componit ut comoedia efficiatur, lugubris illa quidem in qua nihil comoediam sapit quam quod in fine saltatur in scena, ut magis Düntzerus comicum egisse videatur quam Naevius. In eiusmodi rebus dolendum est, viros doctos inter se dissentire posse, namque ex nostris quidem, quae hodie scribuntur, comoediis saepe eligi possunt 24 fragmenta quae nesciamus utrum lugeant an rideant, sed si ex Naevii Plautive aetate tot dispersa unius fabulae fragmenta colliguntur quorum ne unum quidem socco incedit, tum certe non comoediae sunt illa fragmina. Omnino igitur consentimus cum Ribbeckio qui fragmenta egregia ratione in ordinem composuit [5]).

Fragmentum a Varrone[6]) laudatum:

„Risi egomet mecum cassabundum ire ebrium"

quod antea inter Lycurgi fragmenta recensebatur, inter in-

---

[1]) p. 695 P. — [2]) Auct. Class. VIII p. 127 et p. 194. — [3]) p. 193 M.
[4]) in Mus. Rhen. 1837 p. 433. — [5]) trag. rel. p. 245. — [6]) l. l. 7, 53.

rta comoediae fragmenta posuit Ribbeckius [1]), sed quum oc fragmentum bene in Lycurgum quadret quumque a Varone intime coniungatur cum alio fragmento

„Diabathra in pedibus habebat erat amictus epicroco"

uod ipse Ribbeckius e Lycurgo petitum esse opinatur, seuimur Scaligerum, qui id Lycurgo Naevianae tribuit. Quam Graecam fabulam Naevius expresserit, nescimus; quamuam enim duos versus Euripidis Baccharum laudat Klussiannus qui congruunt cum Lycurgi versibus, tamen eiusnodi frustulis nihil demonstratur quum facile in re simili erba similia fierent.

Ad Naevii Lycurgum Ladewicus [2]) censet Plauti [3]) verba eferenda esse:

„Et quidem Alcmaeon atque Orestes et Lycurgus postea
Una opera mihi sunt sodales qua iste . ."

t [4]): „Pentheum diripuisse aiunt Bacchas"; censet enim vir loctus Penthei certe mentionem in Lycurgo esse factam.

Aliquanto audacius idem Ladewicus [5]) existimat convicia quae feruntur in Menaechmis V, 1 admonere Lycurgi; habes bi quidem convicia in ornatum alicuius hominis advenientis licta et nonnulli loci fortasse aliquid comicae versionis spiant, sed res nimis tenuis est quam ut hic plura de ea disputare liceat.

XL. NAGIDO.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 14.

Varro postquam in ordine illo saepe iam laudato Naevii Lampadionem commemoravit inter hanc fabulam et Stigmaiam dicit „in Nagidone:

clucidatus, suavis [6])

od. Flor. ibi legit „Nagidone", Goth: nagidione, Haun: gidione, Par. a: agidone, omittit nomen Par. b. Hoc gitur reapse patet, fabulae nomen aut ab *L* litera in-

[1]) N. 13. — [2]) An scen. p. 12. — [3]) Capt. 3, 4, 30. — [4]) Merc. 2, , 1. — [5]) An. sc. p. 14. — [6]) l. l. 7, 107.

cipere aut ab alia litera quae in ordine alphabetico sequitu inter literas *L* et *S*. Itaque corruunt omnia commenta, qui bus „agidone“ „agone“ „aedone“ „aegaeone“ „agasone“ ali efficere studuerunt ex nomine quod recto iudicio corruptum esse censebant. Nam mihi quoque summum dubium movet fabulae nomen ab oppidulo in finibus Ciliciae et Pamphyliae sito petitum, quare etiam Ribbeckius praeter *Ναγιδώ* proponit *Ναγιδίων* et *Ναγιδεύς* ut sit civium, non oppiduli nomen: sed vix video quid sibi velit *Ναγιδίων* nisi erat servuli nomen, quum autem servi a tota aliqua terra ut Syria, Cilicia, Lydia nomina acciperent, haec ipsa res admodum dubia est. Conicio igitur „macedone“.

Atque facile fieri potest, ut, quum Strattis duas fabulas scripsisset quae *Μακέδονες* nominabantur, postea alius *quis* poeta Graecus *Μακεδόνα* scripserit quam Naevius vertit.

XLI. NAUTAE.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 15.

Fulcitur Naeviana fabula „Nautae“ corruptissimo Festi[1] loco quem adscribam ut quisque videat qua cautione in hac re opus sit:

„supparus [dicebatur puellare] vestimen[tum lineum] — puni[ceum vestimentum ita vo]cat nevi de [bello Puni]co. Et in nautis [vocat Neptuno v]estem consec[ratam supparum].“ Potest hic post „nautis“ excidisse alius poetae nomen, potest quoque in hac voce latere Plauti nomen quod eo magis huc restituere licet quod Nonius s. v. supparus[2] eundem Plautum in Epidico adfert[3]). Propter quam rem in medio linquimus iudicium. Si vero Naevius Nautas scripsit, Graecae fabulae quas sequi potuit adsunt hae: *Διαπλέουσαι* Alexidis, *κυβερνῆται* Menandri, ut omittam *συμπλεούσας* et *συνεκπλεούσας* Philippidis *ναυκλήρους* Nausicratis et fabulas quae singularis numeri nominibus inscriptae sunt.

---

[1]) p. 310 M. — [2]) p. 540 M. — [3]) cf. Plaut. Epidic. 2, 2, 50.

XLII. PACEVUS.

cf. Klussmann. p. 162.

Nonius [1]) laudat fragmentum ex Pacevo, quo loco ne Noniani quidem libri Naevii nomen exhibent praeter cod. L. quem sequutae sunt editiones. Ceteri codices „Novius“ legunt. Quum in ipso fabulae nomine discrepent libri, plerique enim „Pacevo“ praebent, Bas. „Pacetio“ exhibet, Hertzius proposuit [2]) ut hoc fragmentum in Novii Parcum inligemus quae laudatur a Gellio [3]) et, ut coniecit Müllerus, a Festo [4]), quae ratio nobis quoque placet nisi mavis de fabula „Paccio“ cogitare quod nomen Scaliger, probante Bergkio, intulit in Emancipatum Afranii pro „paucias“ quod legit Festi codex [5]). Ribbeckius Pacilium Novii fabulam statuit [6]). Grauerto [7]) qui de Naevii Paulo cogitavit non est cur respondeamus.

XLIII. PAEDIUM.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 224.

Nonius quum quinquies Novii Paedium laudat, p. 540 M. cod. Bamb. „Nevius“ ceteri libri „Naevius Pedio“ legunt. Sed quum iam editio 1480 Novii nomen restituerit ex caussis satis notis, Naevii hanc fabulam non esse censemus.

XLIV. PAULUS.

cf. Ribbeck. trag. rel. p. 236.

Naevio tribuit Paulum editio princeps Nonii [8]) ubi codices Novii nomen exararunt. Sed qui fragmentum audit statim intelleget hic quoque Nonii libros omnes errasse nam versum

„nunc nunc te obtestor celere sancta subveni
Caesarie“

---

1) p. 252 M. — 2) p. 233. — 3) N. A. 17, 2, 8. — 4) p. 262 M. — 5) p. 277 M. — 6) com. rel. p. 223. — 7) Phil. II. p. 127. — 8) p. 510 M.

Novius nunquam composuit. Itaque recte iam Iunius in margine adscripsit Pacuvii nomen, quem, quod sciam, omnes sequuti sunt praeter Hertzium[1]) qui Novio Paulum concedit auctoritate Nonianorum librorum motus, et praeter Grauertum[2]) qui quum antea hariolatus sit Naevium scripsisse Paulum eamque fabulam eandem esse atque Demetrium, in eo tamen acquiescit, ut soli Pacuvio Paulum relinquat.

XLV. PELLEX.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 15.

„Naevius Pellico“ legitur apud Nonium[3]) quod nomen Bothius recte mutavit in „pellice“. Praeter hoc fragmentum nihil ex fabula „Pellice“ usquam laudatur neque adest alius poetae nomen qui Pellicem scripserit, Naevio igitur tribuenda est, cuius exemplum fuit aut Alexidis aut Menandri aut Diphili *παλλακή*.

XLVI. PERSONATA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 15.

De Naevii personata loquitur Festus[4]), cuius verba quum nemo, quod sciam adhuc recte interpretatus sit[5]), adponam: „Personata fabula quaedam Naevi inscribitur, quam putant quidam primum [actam] a personatis histrionibus, sed cum post multos annos comoedi et tragoedi personis uti coeperunt, veri similius est, eam fabulam propter inopiam comoedorum actam novam per atellanos qui proprie vocantur personati, quia ius est is non cogi in scena ponere personam, quod ceteris histrionibus pati necesse est.“

Haec verba aliter explicari nequeunt quam sic: Nonnulli putant hanc fabulam quum primum ageretur, actam esse a personatis histrionibus, sed Festo haec opinio non proba-

1) p. 233. — 2) Philol. II. p. 127. — 3) p. 223 M. — 4) p. 217 M.
5) Sic etiam Mommsenus I b p. 865 fallitur quum dicit, Romanos adeo Naevii aetate eguisse histrionibus ut una Naevii fabula ab atellanis acta sit.

tur, censet enim fabulam nomen illud non accepisse a personatis histrionibus sed ab hominibus qui proprie dicebantur personati, ab atellanis scilicet qui sic post multos annos nominabantur eo tempore quo histriones personis uti coeperunt. Tum igitur, quum haec fabula iterum agebatur a personatis adpellata est personata. Haec explicatio adeo omnes difficultates illius loci tollit ut supersedere liceat plura addere quibus fulciatur.[1])

Personis vero, inquit Diomedes[2]), uti primus coepit Roscius Gallus, praecipuus histrio, quod oculis obversus erat nec satis decorus in[3]) personis nisi parasitus pronuntiabat. Festus igitur seu, quem sequitur, Verrius Flaccus censuit hanc Naevii fabulam post illam Roscii Galli actionem novam id est de novo esse actam[4]). Comoediam hanc fabulam fuisse colligitur inde quod ab atellanis agebatur et quod ipse Festus dicit „propter inopiam comoedorum". Ingenuum fabulae nomen ignotum est, si recte censuit Festus nec ipse Naevius personatam mulierem in ea produxit.

XLVII. PHILEMPORUS.

cf. Klussmannus p. 165.

Philemporum Naevii nemo novit praeter Fulgentium[5]) qui ex ea laudat versum

„isculponeis batenda huic sunt latera probe."

---

[1]) Hoc tantum addo Festum respondere potuisse fabulam primum agi non potuisse a personatis histrionibus quum illi id temporis nondum uterentur personis. Sed non respondit aperte, quamquam latet responsio in verbis „cum post multos annos comoedi et tragoedi personis uti coeperunt". — [2]) p. 486 P. — [3]) lege aut cum Langio p. 43 „sine personis" aut „inpersonatus". — [4]) Quum Donatus de com. dicat „personati primi egisse dicuntur comoediam Cincius Faliscus, tragoediam Minutius Protimus", quorum Faliscus actor Terentianae Adelphorum erat, Diomedis testimonium falsum esse apparet. Accedit quod Donatus in praef. ad Adelphos dicit: haec sane acta est ludis scenicis funebribus L. Aemilii Pauli agentibus L. Ambivio et L. (Turpione) . . . qui cum suis gregibus iam tum personati agebant." — [5]) p. 562 M.

Fragmentum nihil aliud quam Fulgentii commentum esse videtur, qui quum meminisset in Plauti Casina[1]) legi „sculponeae“ et „batuere“, hunc versum finxit, deinde poetae alicuius fabulaeque nomen adscripsit ut doctior videretur. Philempori nomen finxisse videtur ex Philemonis Ἐμπόρῳ quam Plautus Mercatore expressit. Summo iure Ribbeckius, de nebulone Fulgentio nihil moratus fabulam omisit.

XLVIII. PHOENISSAE.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 225.

Festus[2]): Scriptum[3]) est id quod in palustribus locis nascitur leve et procerum unde tegetes fiunt-Ennius-Plautus-Novius in Phoenissis:

„Sume arma iam te occidam clava scirpea“

Müllerus hoc loco Naevii nomen dedit probante Hertzio[4]). Sed recte Welckerus[5]), adstipulantibus Klussmanno et Ribbeckio, tuitus est codicis lectionem.

Quamquam enim et Strattis et Aristophanes comoedias Phoenissas scripserunt (comoediae enim certe fragmentum nostrum est), tamen, ut iam in prohoemio diximus, Romani eiusmodi ridiculas tragoediarum versiones certe non intellegebant, priusquam ipsas tragoedias viderunt. Sic licuit Novio Phoenissas scribere quum Attius cognominem tragoediam, Eculeum fortasse quum Naevius Equum Troianum scripsisset. Sic fortasse idem Novius in Macco exule Medeam exulem, Atta in Tirone proficiscente Hectorem proficiscentem ante oculos habuit; sed si nulla tragoedia praecesserat comica tragoediae versio nihil omnino valebat.

Quod dicit Ladewicus[6]), ex Plauti Poenulo[7]) fortasse sequi ut eorum sententiam comprobemus qui statuunt Phoenissas Naevii fuisse tragoediam, ipse concedit, sese hoc dicere cum grano salis, quum fata Oedipi et ab alterutro reliquorum tragicorum tractari potuerint.

---

[1]) II, 8, 58. — [2]) p. 330 M. — [3]) lege cum Müllero: Scirpum. — [4]) p. 226. — [5]) p. 1370. — [6]) An. Sc. p. 12. — [7]) 1, 3, 22—25.

XLIX. PROIECTUS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 16.

Duo fragmenta ex Naevii Proiecto laudat Diomedes [1]) semel tantum poetae fabulaeque nomine addito. Cogitarunt viri docti Proiectum esse Expositum, sed Graeca fabula illius nominis non extat; multo minus credi potest, Antiphanis πρόβλημα fabulam a Naevio esse versam quae, auctore Meinekio, scatebat aenigmatis et obscuris salibus. Nos qui quam artissimis finibus fabularum numerum coercere studemus, nostram de hac fabula sententiam iam indicavimus quum Ἀκοντιζόμενον huc delegaremus; illius enim fabulae quam ter laudat Charisius Latinum nomen Diomedes retinuisse videtur, cui sententiae etiam frustula harum fabularum favent.

L. PROTESILAODAMIA.

cf. Weichert. p. 78—82.

Accuratissima Weicherti de hoc poemate disputatio omnes ni fallor eo adduxit ut Laevio hoc carmen tribuant quod suadent et Gellii libri [2]) et nominis compositi ratio [3]) et sermonis color carminisque argumentum quod ad Laevii Erotopaegnia pertinet; etiam versuum ratio, sunt enim dimetri iambici, abhorret a poesi Naeviana [4]). Itaque errant codices Prisciani [5]) qui scribunt „Livius in Laodamia“ et [6]) „Livius in Protesilao“ et [7]) Naevius in Protesilaodamia, errant quoque Noniani libri [8]) qui Naevium huius carminis auctorem esse dicunt.

Nobis de hoc poemate nihil dubii relinquitur. Sed quum interpres Veronensis ad Vergilii Aeneidem [9]) haec referat:

„pictos, stigmosos ut pictosque Gelonos“

---

1) p. 400 K. — 2) N A. 12, 10. — 3) cf. Welcker. p. 1372. — 4) cf. Osann. an. cr. p. 54. — 5) p. 877 P. — 6) p. 869 P. — 7) p. 703 P. — 8) p. 116 M. et p. 209 M. — 9) 4, 146.

in Protesilaodamiae ac papyrin:

„haec terga habeant stigmata"

videant mecum, quaeso, viri docti, numquid in vocibus „ac papyrin" lateat „ad papirium". Dedicavit enim, credo, Laevius hunc Erotopaegnion librum Gn. Papirio Carboni consuli annorum 669, 670, 672 seu alii Papirio quorum gens eo tempore Romae maxime florebat.

LI. PULLI.

cf. Klussmann. p. 166.

Tria Pullorum fragmenta laudat Nonius, sed ter quoque ignotum corruptumque poetae nomen expromit „Vaeius"[1] „Veius"[2] „Suis"[3].

Fragmenta recte Klussmannus refert ad notissimum illud Romanum augurium, propter quod Grauertus[4]) Pullos inter togatas recenset; et quamquam Welckerus[5]) et Hertzius[6]) in medio hanc rem relinquunt, tamen certe est verisimilis. Si vero togata est, Naevio hanc fabulam abrogamus; itaque huius fabulae nomen Neukirchius[7]) melius cum Pomponii vacca et verre aegroto et cum Laberii scylace et tauro composuisset quam cum Naevii lupo a qua plane abhorret. Quin id ipsum quod Noniani libri quoties huius poetae nomen scribunt, prave scribunt, satis indicat, illud remotius fuisse quam notissimum Naevii nomen. De Laevio igitur temere cogitarunt Gerlachus et Rothius, praecedente Mercero, de Suevio Hertzius[8]), inprobante Teuffelio, quum Suevius Moretum scripserit; quamquam iam Hertzio scrupulum iniecit quod Suevii nulli versus nisi hexametri noti sunt. Equidem, quum nullum aliud nomen propius sit, cogitavi Valerii nomen per sigla prave a librariis intellecta Vāeius scriptum fuisse in Nonii libris, unde et Vaeius et Veius et

---

1) p. 72 M. — 2) p. 513 M. — 3) p. 139 M. — 4) Philol. II. p. 129. 5) p. 1345. — 6) p. 231. — 7) p. 55. — 8) p. 232.

suis orta sint vitia. Commemoratur Valerii palliata Phormio a Prisciano[1]).

LII. QUADRIGEMINI.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 16.

Naevii Quadrigemini laudatur a Nonio[2]), ab eodem[3]) memoratur Novii Gemini, et a Gellio[4]) Plauti Trigemini, in qua re mirum est, poetas Romanos coepisse a fabula intricatiore et paullatim ad simpliciorem decidisse, nam certe quo plures gemini in fabula sunt, eo confusius redditur fabulae argumentum. Ex nostra sententia multo verisimilius est, poetas inverso ordine processisse ut ad quadrigeminos denique ascenderint quum trigemini et gemini non iam sufficerent. Accedit quod Naevii comoediis semper fere Graecas comoedias substruere possumus, itaque quum nulla Graeca Quadrigemini extet, Geminos vero scripserint Alexis, Anaxandrides, Antiphanes, Euphron, Xenarchus, Aristophon, quorum Alexis saepissime Naevii est magister, quumque Nonii libri facillime id patiantur, ut Quadrigeminos Novio, Geminos Naevio tribuamus, censemus Naevium non Quadrigeminos sed Geminos scripsisse[5]).

LIII. ROMULUS.

cf. Ribbeck. trag. rel. p. 235.

cf. Alimonium Remi et Romuli.

LIV. SANNIONES.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 226.

Naevii Sanniones quam laudat Nonius[6]), Stephanus, Bothius, Hertzius Naevio reliquerunt; ceteri viri docti iure

[1]) p. 679 P. et p. 712 P. — [2]) p. 153 M. — [3]) p. 510 M. — [4]) N. A. 7, 9. — [5]) Mülleri errorem qui apud Varronem de l. l. 7, 70 pro „quod fretum est" coniecit „Quadrigemini" satis reiecit Ritschelius Par. p. 97. cf. Ribbeck. com. rel. p. 25 inc. fab. n. 22. — [6]) p. 218 M.

Novio hanc atellanam tribuunt, atellanarum enim personae sunt sanniones[1]).

LV. SATIRA.

cf. Klussmann. p. 168.

Festus[2]): „Quianam pro quare et cur positum est apud antiquos ut Naevium in carmine Punici belli: summe deum regnator quianam genus isti et in satyra quianam genus isti et in satyra quianam Saturnium populum pepulisti. et Ennium etc."

Plerique viri docti, fulti hoc testimonio corruptissimo Naevio satiram tribuunt, sed varia de hoc carmine sunt iudicia. Van Heusdius[3]) enim ex hac satira quam dramaticam fuisse negat, haustum esse putat versiculum quo Metelli carpuntur [4]), obloquentibus K. F. Hermanno [5]) et Hertzio [6]). Hermannus censet aut dramaticam illam fuisse aut librariorum errore Ennii satiram hic esse commemoratam, quum statim Ennii annales laudentur. Idem fere censet Klussmannus qui putat Naevii aliquam fabulam propter acerbitatem postea satiram esse appellatam; sed quum nihil aliud e Naeviana satira notum sit et facile loco illo corruptissimo Ennii satira potuerit cum Naevii nomine coniungi, Ennio hoc carmen tribuimus, cuius satirae plerumque quidem laudantur aut libri numero addito aut plurali numero, sed invenitur quoque: „in satura tradit Ennius".[7])

LVI. SIRENE.

cf. Weichert. p. 83.

Nonius[8]): „Naeusus Sireno: citer delfino cinctis vehiculis hippocampisque asperis." Cum hoc Nonii loco conferendus est locus Prisciani [9]):

---

[1]) cf. Cic. ad Div. 9, 16. — [2]) p. 257 M. — [3]) p. 287. — [4]) Mommsenus Ib p. 897 eandem sententiam tueri videtur, dicit enim carmina minora iam inde a Naevii aetate satiras esse appellata. — [5]) Ann. Gott. 1843 n. 40. — [6]) p. 234. — [7]) cf. Quint. D. 9, 2, 36. — [8]) p. 120 M. — [9]) p. 739 P.

„Livius Andronicus in Odyssea . . .
Laevius in Sireno: circa nunc Laertie velle para ire Ithacam

[Laevius: Lips. 2; Livius: ceteri; Sireno; Lips. 1, 2 Erl. 1, 2, Heid. Zwick. 2 Luth.; circa: Zwick. 1, 2, Dresd. Lips. 1, 2 Luth.; cura: ceteri]

Omnes fere viri docti statuunt hoc carmen Laevii esse, non Livii nec Naevii; et adparet iam ex Prisciani loco laudato alius poetae nomen insequutum esse quam Livii. Itaque iam G. I. Vossius de Laevio cogitavit cui adstipulati sunt Hermannus, Weichertus, alii; omnes tamen mutarunt bona fide „Sireno“ quod et apud Nonium et apud Priscianum legitur, in Sirene, quae emendatio etsi facillima est, tamen dubii aliquid oboritur cur utriusque grammatici codices formam hanc inauditam expresserint, quum etiam indoctissimi librarii certe Sirene scripsissent nisi in libris primariis Sireno [1]) invenissent; nos igitur retinemus formam „Sireno“, quod est documentum antea nomen aliquod compositum ibi fuisse cuius pars posterior perierit; et quadrant in Laevii ingenium nomina composita ut vidimus in Protesilaodamia Erotopaegniòn libro. Vestigia vero amissae vocis latent in initiis amborum fragmentorum, quae incipiunt similibus vocibus „circa“ et „citer“. Quae consideranti mihi nullum relinquitur dubium quin huius Laeviani carminis genuinum nomen fuerit „Sirenocirca“, quae sententia egregium in modum probatur Prisciani fragmento, quo celebrasse videtur poeta Ulixis Laertii amores erroresque quibus ad Sirenas et ad Circen venit.

LVII. STALAGMONISSA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 16.

Stalagmonissae Naevianae unicum fragmentum extat apud Donatum [2]) quo loco cod. Lugd. exhibet Nevius, Dresd.

---

[1]) Summopere gaudeo me in hac re convenire cum Hertzio, quem postea demum vidi in sua Prisciani editione I, 302, 1 legere in „Sirenocirca“.
[2]) ad Ter. Phorm. 1, 2.

Hemnius, nomen ex Ennii nomine corruptum, ceteri libri: Naevius. Quum antea editiones fabulae nomen „Stalagmus“ scriberent, ex codicibus rectum nomen restituit Ribbeckius. Graeca fabula eiusdem nominis non extat.

LVIII. STIGMATIAS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 16.

E Stigmatia vocem praebia servavit Varro[1]). Graecam *Στιγματίαν* nullam habemus, sed ex Naeviana fabula et ex *Ψευδοστιγματίᾳ* Nicostrati concludimus illius nominis famulam olim extitisse.

LIX. TABELLARIA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 226.

Tabellariam Novio tribuit Nonius[2]), Naevio vero Diomedes[3]), Nemo propter hanc nominum diversitatem duas Tabellarias fuisse statuet, sed alteriutri aut Naevio aut Novio tribuenda est. Bothius igitur et Ribbeckius Novio eam adscribunt, nos fabulam inter Naevianas recensemus nam nec Charisius nec Diomedes ullum Novii fragmentum tradunt et bene exposuit Klussmannus[4]), apud Nonium quum statim post „Novius in Tabellaria“ sequatur „Naevius in Sannionibus“ poetarum nomina sedes mutasse. Graecam *Επιστολήν* Alexidis fortasse Naevius expressit; atque sic unam fabulam Naevianam habemus in „aria“ exeuntem, cuius nomen supplendum est voce „fabula“ non „femina“.

LX. TARENTILLA.

cf. Ribbeck. com rel. p. 16.

Naevii Tarentilla laudatur a Varrone[5]); ter decies Charisius fragmenta eius adfert, Paulus denique Festi[6]) unum versum Naevianae Tarentillae laudat, quem eundem thes.

[1]) de l. l. 7, 107. — [2]) p. 218 M. — [3]) p. 376 P. p. 380 K. — [4]) p. 170. — [5]) l. l. 7, 107. — [6]) p. 29 M.

nov. Lat. in A. Mai auct. class. VIII, 54 Livio et VIII, 372 Plauto tribuit. Isidorus vero eundem versum, additis quatuor et dimidio, Ennii nomine adfert. Qua in re recte Paulo crediderunt viri docti, quum is et soleat verum dicere et accuratius quam ceteri fabulae et poetae nomen addiderit. Argumentum fabulae exposuit Ribbeckius[1]. Adulescentes duo cum peregri, Tarenti, ni fallor, rem paternam disperdant, inproviso a patribus visuntur; alterius amica Tarentilla erat. Quamquam equidem non censeo *Ταραντίνους* Alexidis a Naevio esse expressam, tamen similem certe fabulam sequutus est. Fragmenta totam Naevii artem ostendunt, sermonis elegantiam atque vigorem, ingeniique venam benignam; apparet hoc enim ex multis adliterationibus quae invito poetae effluxisse videntur ut fgt I: probavi plausibus — regem rumpere — superat servitus, et ex vocibus naturam imitantibus „attat tatae" et „ei ei". Nihil habemus quod de hac fabula moneamus praeter Mommseni[2] errorem, qui quum nimis Romanas res quaereret in Naevii comoediis, statuit Naevium fragmento primo dicere quanto sit praeferenda poetae vita Romae peracta prae illa quae degatur in regno Lagidarum et Seleucidarum. Fragmentum enim est:

„Quae ego in theatro hic meis probavi plausibus
Ea non audere quemquam regem rumpere
Quanto libertatem hanc hic superat servitus."

Haec verba, si Mommseni sententiam sequimur, intellegi nequeunt; poeta enim fabulas nec suis plausibus probat nec de Romana servitute loqui potest. Itaque referenda sunt verba ad illos iuvenes qui dicunt, sese malle servos esse et Tarenti ludos scenicos spectare quam cum patribus redire in libertatem qua in patria frui liceat.

LXI. TECHNICUS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 19.

Hanc fabulam commemorat Varro[3], quo loco cod. Flor. exhibet „thechnico", cod. B. therimo.

---

[1]) com. rel. p. 16. — [2]) I[b] p. 874. — [3]) l. l. 7, 107.

LXII. TELEPHUS.

Stievius [1]) falso Telephum inter Naevianas fabulas recenset.

LXIII. TESTICULARIA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 19.

Ex Naevii Testicularia Priscianus [2]) adfert versum:
„Immo quos scicidimus conscindam atque abiciam.“
Fabulae nomen cuius simile apud Graecos non extat, indicat rem agi de Eunucho. Haec fabula inprimis caussa fuisse videtur cur severiores nonnulli Naevium incastitatis arguunt. Namque, quod vix credas, propter hanc fabulam versum illum Plautinum:

„Cui totis horis bini custodes semper occubant“

obscene in Naevium dictum esse censet Funccius. Rostius quoque nostrae fabulae nomine offendebatur, cuius iram delenire studuit Ritschelius [3]). Ut Tabellariae sic huius quoque fabulae nomen optime suppletur voce „fabula“.

LXIV. TRIBACELUS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 20.

Donatus [4]) commemorat Naevii tribaselum, sic enim scribit cod. Lugd.; cod. Dresd. pro poetae nomine scribit „cuius“, fabulae autem nomen scribunt cod. Med. tribascelo, cod. Grand. tribasello, cod. Dresd. ter baselo.

Klussmannus cum Lugd. et vett. editt. tribaselum sripsit, quamquam ipse certe hoc nomen non intellexit. Ribbeckius cum summa veri specie a Graeca voce *βάκηλος* fabulae nomen derivavit, licet enim rarissime vocabula inveniantur ex numerali nomine et ex adiectivo quod animi virtutem seu vitium exprimit composita, tamen hoc composi-

[1]) p. 88. — [2]) p. 890 P. p. 517 H. — [3]) Par. p. 141. — [4]) ad Ter. Ad. 4, 1, 5.

tionis genus fulcitur voce „triparcus"[1]). Graeca fabula quam Naevius expressit non iam extat. Bothius coniunxit hanc fabulam nulla e caussa cum Triphallo.

LXV. TRIPHALLUS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 20.

Triphallum Naevii laudat Gellius[2]). Nonnulli cogitarunt inepte de ithyphallo. Cum nostra fabula Aristophanis *τριφάλης* quam adfert Klussmannus nihil rei habet. Notandum est Varronem satiram *τρίφαλλον ἢ περὶ ἀῤῥενότητος* scripsisse, in qua *τρίφαλλος* Priapi fortasse nomen fuit.[3])

LXVI. TUNICULARIA.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 20.

Tunicularíam inter Naevianas fabulas enumerat Varro[4]); prave enim propter vocem „pacuidum", quam affert Varro ex Tarentilla, et Tarentillam et Tuniculariam quae illam ordine subsequuntur, Pacuvio dederunt Bothius et Stieglitzius[5]). In constituendo fabulae nomine nihil nos moratur quod cod. vet. Turnebi legit „auricularia" quum propter ipsam ordinis rationem litera *a* in *t* mutanda sit. Accedunt ad Varronis locum laudatum duo fragmenta a Festo servata.

Festus enim[6]) haec dicit:

„Plautus in parasito pigro . . item in mostellaria . . et in truculento . . et Naevius et in tunicularia" quo loco aut periit fragmentum inter Naevius et *et* interpositum aut errore *et* iterum positum est.

Idem Festus[7]) dicit: „Neut' in tunicularia" corrupto certe Naevii nomine.

Graeca est fabula *ἱματιόπωλις* Apollodori quam utrum expresserit Naevius non audeo affirmare, si vero illam ex-

---

[1]) cf. Plaut. Pers. 2, 3, 14. — [2]) N. A. 2, 19, 6. — [3]) cf. Priap. 83, 9. — [4]) l. l. 7, 107. — [5]) de Pacuvii Duloreste p. 12. — [6]) p. 166 M. [7]) p. 230 M.

pressit, eadem est res quam in Corollaria observavimus, nam illam quoque ex Graeca στεφανοπώλιδι expressam esse censuimus.

LXVII. VIRGO PRAEGNANS.

cf. Ribbeck. com. rel. p. 227.

De hac fabula nunc vix lis est inter viros philologos; ferebantur enim sub eius nomine quatuor fragmenta, quorum unum[1]) recte nunc in incertis Naevii comoediarum fragmentis legitur[2]), alterum vero quod laudat Festus[3]) „Livius in Virgo“ recte correxit Ribbeckius qui legit „Livius in Verpo“. Restant duo fragmenta Novii nomine laudata a Nonio[4]) quorum prius Priscianus[5]) ita refert: Nonius tamen Marcellus de mutatis coniugationibus sic ponit: sapivi pro sapui. Novius in Virgine praegnante:

quando ego
Plus sapivi quin fullonem compressi quinquatrubus“.

Quo loco cod. Dr. „Nevius“ cod. B. „Naevius“ legit. Sic ratione diplomatica iam constat, Novii hanc fabulam fuisse, quam rem probat ipsum fabulae nomen et fullo qui fgto 1 nominatur; etsi enim fullones etiam Naevius commemorare potuit, tamen praecipue in atellanis occurrunt.

---

1) cf. Diom. p. 370 P. cf. Prisc. p. 875 P. et 905 P. — 2) Ribbeck. inc. 19. — 3) p. 174 M. — 4) p. 508 et 516. — 5) p. 879 P. 499 H.

Incerta fragmenta fabularum, quum vix quidquam efficiant ad intellegendum Naevii ingenium, nunc omittimus.

INDEX FABULARUM

QUAS NAEVII ESSE CENSEMUS.

A. Tragoediarum.

1. Danae.
2. Equus Troianus.
3. Hector proficiscens.
4. Hesiona.
5. Lycurgus.

B. Praetextarum.

1. Alimonium Remi et Romuli sive Lupus.
2. Clastidium.
3. Romulus.

C. Comoediarum.

1. Acontizomenos-Proiectus.
2. Agitatoria.
3. Agrypnuntes.
4. Appella.
5. Colax.
6. Corollaria.
7. Demetrius.
8. Dolus.

9. Figulus.
10. Gemini.
11. Glaucoma.
12. Gymnasticus.
13. Hariolus.
14. Lampadio.
15. Leon.
16. Ludus.
17. Macedo.
18. Nautae [?].
19. Pellex.
20. Personata.
21. Stalagmonissa.
22. Stigmatias.
23. Tabellaria.
24. Tarentilla.
25. Technicus.
26. Testicularia.
27. Tribacelus.
28. Triphallus.
29. Tunicularia.

INDEX.

— 20 X — 15

